



Theologia Scholastica

Quinque Tomis Comprehensa ... ; Cum Triplici Indice

De Deo Atque De Ejus Possessione Cum Triplici Indice

Ulloa, Joannes de

Augustae Vindelicorum [u.a.], 1719

Disputatio Secunda. De Deo quoad relativa, hoc est, de Mysterio
Sanctissimæ Trinitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81382](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81382)

verificantur de Divinis Personis præcisè quoad talem, vel talem relationem, seu personalem proprietatem. Deniquè, quod hi actus contingentes sumpti quoad denominationem distinguantur virtuali-

ter ab essentia, actibus necessariis, & relationibus, constat ex eo, quod sumpti quoad denominationem possint non esse in rebus, cum tamen ista alia indefectibilia sint.

DISPUTATIO SECUNDA.

De DEO quoad Relativa: Hoc est de Mysterio Sanctissimæ Trinitatis.

Duas classes rerum in arcano hoc disputare solent Theologi; nimirum Dogmaticas, atque Speculativas. Utrisque referti sunt libri obvi; hac de causa parcus ero, & quæ notatu digna videntur, duntaxat dabo.

CAPUT I.

An, & qua ratione sit evidenter moraliter cognoscibile à Viatore hoc Mysterium.

I. **D**ico 1. Non est evidenter Metaphysice demonstrabile ab intellectu nostro sibi soli relicto; quippe illi *sibi soli relicto* apparet ex terminis ipsis impossibile, & consequenter nec positivè, nec negativè probabile. Probo primam partem contra Raymundum Lullum, quem non pauci sequuntur Hispani Baleares. Nil magis notum in Ecclesia, quam summa hujus Mysterii arduitas, & obscuritas quoad quidditatem, ac existentiam: sed quod est demonstrabile, non est ita obscurum, siquidem evidenter probatur; ergo. Ratio autem est, quam ibi adjeci. Nihil, quod ex terminis ipsis apparet impossibile intellectui sibi soli relicto est demonstrabile, ut verum ab intellectu *sibi soli relicto*; imo neque est ipsi probabile positivè, aut negativè, ut constat; sed hoc Mysterium ex terminis ipsis apparet impossibile intellectui *sibi soli relicto*; ergo. Probatur. Omne, quod ex terminis ipsis apparet contrarium veritati, quæ ex terminis ipsis apparet evidens intellectui sibi soli relicto, ex terminis ipsis apparet impossibile intellectui sibi soli relicto; At tale est hoc Mysterium; Probatur. Tria realiter distincta identificari cum eadem prorsus indivisa natura, seu quæ sunt eadem uni tertio, non esse eadem inter

se, ex terminis ipsis apparet oppositum huic veritati, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: sed Trinitas consistit in eo primo; ergo ex terminis ipsis apparet opposita huic dictæ veritati; sed hæc veritas ex terminis ipsis apparet evidens intellectui *sibi soli relicto*; nam antè hujus Mysterii notitiam nusquam fuit in toto Orbe terrarum dubium de veritate illa, & omnes limitationes, seu explanationes illius principii hæctenus ab authoribus excogitatæ nascuntur ex notitia, & assensu Fidei præsupposito Mysterii hujus; ergo: Nequè est absurdum, quod intellectui nostro sine magisterio Fidei appareat ex terminis impossibile hoc Mysterium; tum quia in rebus ipsis naturalibus multa apparent per se immediate impossibilia, quæ usu postea, & experientia deprehenduntur factibilia, & è converso multa apparent possibilia, imo, & facillima, quæ ratione, ac experientia deprehenduntur esse Entia rationis. Et ratio est. Mens nostra sibi soli relicta non est regula scibilium, nequè veritatis pantometra, passim labitur, putans esse evidenter verum idipsum quod falsum est, & viceversa: cuius veritatis plusquam sufficiens ratio est quotidiana experientia, quæ rubore suffundimur, quod multa crediderimus, quæ postea falsa deprehendimus; ergo ex eo, quod Mysterium hoc per se immediate apparet impossibile menti nostræ *sibi soli relicta*, nihil infertur contra veritatem illius. Nequè est absurdum quod sit contra lumen naturale in hoc sensu, id est contra illud, quod intellectus solis principiiis naturalibus consultis, putat esse per se immediate ex terminis evidens.

II. Fundamenta evidentiae, quam contrarii prætendunt, sunt pr. mò: Evidens

dens est perfectionem infinitam, qualis est Divina non adstringi numeris perfectionum finitarum. Item evidens est bonum simpliciter infinitum, simpliciter infinite communicabile esse, seu diffusivum sui. Transeant ambae evidentiæ; sed hinc qua evidentiâ deducitur immunitatem illam, & communicationem hanc absolutè, & determinatè consistere in eo, quod tres personæ realiter distinctæ & neque plures neque pauciores fruantur eadem indivisa essentia, non obstante, quod una physicè producat aliam: secundum: Unamquamque creaturam intimè connecti cum Trinitate, seu cum DEO, ut Trino in sensu reali. Annuo, quidquid multi reclamant, agentes creaturas non connecti cum DEO, ut Trino, id est DEUM præcisè, ut unum, non autem, ut Trinum prærequiri ad creationem creaturarum; quod duntaxat verum est, si illæ reduplicaciones alludant ad sensum mentalem, quatenus ex vi præcisè cognoscendi naturaliter creaturas, non detegamus prædicatum ullum, quod nos deducat in cognitionem Trinitatis; falsum autem est, si alludant ad sensum realem, quoniam omnis creatura intimè connectitur in sensu reali cum DEO vero, & reali, cumque omni perfectione, cum qua ipse DEUS connectitur: At DEUS verus, & realis est Unus, & Trinus; ergo creaturæ connectuntur cum DEO, ut Trino in sensu reali. Cæterum cum hanc connexionem non aliundè sciamus, nisi ex principiis Fidei, quibus didicimus Trinitatem esse unam ex perfectionibus necessariis DEI, idcirco nequimus ratione sola naturali deprehendere istam connexionem creaturarum cum Trinitate, & consequenter nequimus hanc probare evidenter ex illa. Hinc habes, quod licet Angelus comprehendat res omnes naturales, attamen scientia naturali non agnoscit Trinitatem, quia comprehensio hæc non est absolutè talis, qualis est sola Divina, sed 2.^{um} quid, nempe scientia naturali cognoscit omnes res *adequatè* naturales secundum terminos merè naturales, quas illæ respiciunt; Trinitas verò est entitativè supra naturam totam, tametsi connexio creaturarum cum ipsa sit entitativè naturalis, utpotè identificata cum creaturis; licet enim natu-

ra non connectatur cum ullo supernaturali contingente, & donabili à DEO, ut docet Ecclesia contra Pelagium, quia alioquin gratia non esset gratia, connectitur cum supernaturali entitativè necessario, quodquè non est donum DEI, & sic se habet Trinitas. Dixi Angelum cognoscere res *adequatè* naturales, quia licet falsitas hujus propositionis *DEUS non est Trinus*, sit naturalis, eo quia naturalis est propositio ipsa, quam falsitas importat in recto, non tamen agnoscit illam Angelus evidenter, quia illa falsitas constituitur per Trinitatem ipsam, quæ non est quid naturale.

III. Tertium est Divina revelatio hujus mysterii, ex qua evidenter posset intellectus probare illud. Fateor possibles esse multas revelationes entitativè naturales, & evidenter cognitæ ab homine; Verumtamen nulla revelatio hujus determinatè Mysterii, quod ex terminis apparet impossibile intellectui sibi soli relicto, potest esse naturalis. Undè nec cognita evidenter absolutè per naturam. Quartum est miraculum factum in confirmationem hujus Mysterii. Cæterum, ut intellectus evidenter inferret ex eo mysterium hoc, debebat cognoscere evidenter illud miraculum esse testimonium DEI de hoc mysterio; sed non potest hoc evidenter cognoscere solo lumine naturali ob nuperam rationem; ergo ex miraculo nequimus evidentiâ naturali, &c. Quintum est prædicata illa, quæ juxta Raymundum evidentiâ naturali deprehendimus in DEO, nempe *Bonitas, actus bonificandi, Bonificatum, & Bonificans*, quibus terminis compegit ille suam demonstrationem Trinitatis; sed eadem licentia potest quis distinguere in homine Animalitatem, actum animalitatis, animalizatum, & animalizans, quin propterea deprehendamus in eo Trinitatem personarum cum unitate essentiæ; nempe quia hæc omnia sunt una, eademque persona distinctis barbaris vocibus subjacens, idem putaret intellectus noster sibi soli relicto de istis vocabulis, Bonitas, & Bonificatum, &c. Hinc indicia hujus mysterii, quæ leguntur in Libris Hermetis, Platonis, atque Sybillarum, & quæ passim reperies, vel didicerunt ex commercio cum Hebræis, quorum multis innotuit Trinitas, vel spe.

Lib. 7. Con-
fess. cap. 20.
Lib. 8.
cap. 2.

speciali DEI inspiratione suggesta fuerunt, ut sensim disponerentur homines, ne ad repentinum tanti mysterii fulgorem excutirent, lege, quid expertus fuerit Augustinus hac lectione præeunte; atque idcirco S. Paulus, teste Clemente Alexandrino 6. Strom. hortabatur homines ad Lectionem Sybillarum, in quarum carminibus invenirent scintillas mysteriorum, quæ ipse explicabat; quando autem S. Athanasius orat. 1. & 3. contra Arianos ex illo ad Rom. 1. *Invisibilia enim ipsius, &c.* probare videtur præscos Philosophos inexcusabiles esse in hujus mysterii ignorantia, non est, quia solis viribus naturæ potuerunt illud assequi adhuc probabiliter, sed quia auxiliis sibi collatis abutentes se indignos reddiderunt, quos Deus gratia uberiore promoveret ad hanc notitiam.

IV. Dico 2. Possibilitas, & existentia hujus mysterii non solum est Metaphysicè certa, utpote per DEUM revelata ut ex Polemica suppono, & non disputo nunc; verum etiam est moraliter evidens in Ecclesia quoad positivum, & quoad negativum, id est quoad existentiam trium, & non plurium personarum Divinarum. Imo possibile est Principium supernaturale, quo citrà intuitionem cognoscatur evidenter Metaphysicè à viatore, tum per discursum ex reali connexione Metaphysica creaturarum cum ipsa sanctissima Trinitate, tum etiam immediatè ex terminis: Quamobrem mysterium hoc in se ipso non opponitur principiis Metaphysicis, rationi naturali, arti syllogistica, logicisve conversionibus: Quinimmo explicat illa omnia, docetque modum, quo intelligi debent; quamvis opponatur cum illis prout cognoscuntur à nostro intellectu sibi soli relicto. Ut offendicula vites contra primam partem, scilicet contra evidentiam moralem intrinsecæ veritatis mysterii hujus, insideant menti hæc, quæ sequuntur.

V. Primum. Non assero evidentiam moralem Trinitatis quoad quidditatem, aut quoad modum, quo est: nam cum tot sint sententiæ Theologorum hac super re, omnes innocentes, ac securæ, nulla est moraliter evidens, & singulæ negantur probabiliter ab aliis auctoribus: solum itaque assero evidentiam

R. P. de Ulloa, Theol. Tom. 1.

moralem Trinitatis, non solum quoad credibilitatem, & obligationem credendi, verum etiam quoad veritatem ipsam intrinsecam, & realitatem mysterii, tamen hæc moralis evidentia admixta sit ignorantia modi, quo res est. Hujusmodi mixturam evidentia rei quoad existentiam, & ignorantia quoad modum, experimur passim. Evidentiam physicam habemus continuitatis physicae carthæ hujus quoad intrinsecam veritatem ipsius, & magnam simul ignorantiam circa modum, quo est continuitas hæc: An per puncta physicè indivisibilia, an per infinitè divisibilia? Evidentiam experimentalem habemus de veritate intrinseca somniorum nostrorum quoad existentiam, id est de eo, quod multoties habemus somnia, sive vera, sive falsa; sed hæc evidentia conjungitur cum totali ignorantia circa modum, quo hic, & nunc formatum fuit tale individuum somnium, & circa causas, causarumque combinationes, ex quibus illud hic, & nunc prodiit. Est res quotidiana habere evidentiam circa esse, ac circa existentiam rei simul cum ignorantia de quidditate illius, & de modo, quo est illa res: Ergò quod ignorantia laboramus modi, quo est mysterium Trinitatis, compossibile est cum evidentia morali de intrinseca ipsius veritate quoad existentiam in rebus.

VI. Secundum. Non dico singulis hominibus, semper, & ubilibet esse evidentem moraliter existentiam mysterii; sed illam quoad positivum trium Personarum, & quoad negativum plurium, esse moraliter evidentem in Ecclesia quoad suam intrinsecam veritatem: quatenus nimirum non exurgente aliunde fundamento ad prudenter negandum aut dubitandum hoc mysterium, in Libris Ecclesiasticis, tum Scripturæ, tum Conciliorum, tum Patrum, deprehendimus tale pondus rationum, ut intellectum aliàs dispositum, hoc est, docilem, & proterviã, vel nimio timore non præoccupatum (nam hujusmodi solent evidentiis etiam majoribus non cedere; lege Augustinum de se agentem. *Volebam enim eorum, quæ non viderem, &c.* Aug. lib. 6. Item sicut evenire assolet, ut malum medicum expertus, etiam bono timeat se committere) moraliter necessitet, id est, vehementer

F

ter

ter inclinet non solum in assensum de
credibilitate, & credenditate hujus my-
sterii id est in iudicium reflexum. *Est*
moraliter evidens, quod prudenter potest, ac
debet credi hoc mysterium. Verum etiam in
assensum intrinsecæ veritatis mysterii e-
iusdem quoad existentiam, id est incli-
net mentem vehementer in hoc iudi-
cium: *Est moraliter evidens DEUM esse*
Trinum, ut mox dicam. Undè inter ra-
tionales, & sanctas numerari potest au-
dacia illa Richardi Victorini sic DEUM
alloquentis. *Domine, si error est, à te de-*
cepti sumus; Ista enim nobis sunt tantis signis,
& prodigiis confirmata, & talibus, quæ non
nisi per te fieri potuerunt. Cæterum cum ex
una parte assurgant multoties difficulta-
tes contrà hoc mysterium, & hæ po-
tentes sint, utpote fundatæ in omnibus
aliis rebus distinctis ab hoc mysterio, &
quarum ab Infantia assueti sumus; &
cum ex alia parte non semper, non ubi-
libet, non quilibet habeat præsentem
cunctas rationes, quarum complexum
facit moraliter evidentem existentiam
hujus mysterii, & quamvis utcumquæ
sciat homo, & meminerit illas, non
semper meminerit in eo gradu perspicui-
tatis, ut penitus fuget difficultates con-
trarias, quæ intellectui sibi soli relicto
apparent omnino evidentes, quæquæ in
omnibus aliis rebus evidentes sunt, v. g.
quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem in-
ter se. Quæ repugnant uni tertio, &c.

VII. Cum hæc inquam ita sint, en-
datur capacitas 1. Ut Catholicus etiam
tentationes graves subeat contrà Fidem
hujus mysterii. 2. Ut captivet intelle-
ctum in obsequium illius, & consequen-
ter, ut magnum meritum habeat in Fi-
de illius & consequenter, ut liberè li-
bertate indifferentiæ assentiatur illi;
tum quia si evidentia moralis veritatis
tolleret hæc duo, evidentia moralis
credibilitatis, & credenditatis, quæ
passim admittitur, tolleret illa etiam;
par enim, vel suppar est ratio: & quæ
objeceris contrà illam, facile retor-
quentur contrà hanc, tum quia eviden-
tia moralis non semper tollit hæc, sed
ad summum, quando tota est præsens
menti, & in gradu notabiliter intenso,
& non impugnatur per magnas contra-
rias apparentias. Ergo quoties hæc de-
ficiant, datur locus illis aliis: At quam-

vis in Ecclesia, hoc est in factis monu-
mentis, & in mentibus multorum Ca-
tholicorum, detur complexum ex ratio-
nibus, reddens moraliter evidentem exi-
stentiam & veritatem intrinsecam Trini-
tatis, multoties, & multis non est actu
præsens tota hæc evidentia moralis, aut
non est præsens in gradu notabiliter in-
tenso, aut vivacissimè objiciuntur mag-
næ apparentiæ contrariæ, ut experien-
tiâ constat; ita ut opus sit contrà ictum
fluvii conari, & Divinum implorare au-
xilium, ut Deus præcipiat vento, &
mari, fiatque tranquillitas, vel saltem
opus sit tenaciter hære, ne rapiamur,
& nè scintilla, quam in memoria habemus,
evidentiæ moralis obruatur, revo-
cantes interea in memoriâ dictum
complexum rationum: Ergo quamvis in
Ecclesia detur ea moralis evidentia, re-
stat capacitas illorum trium; tum quia
evidentia moralis etiam quando tota est
præsens, & in gradu intenso, & est im-
munis à contrariis apparentiis, non ne-
cessitat Metaphysicè, aut Physicè (evi-
dentiâ ipsam Metaphysicam dicunt
multi, contra quos egi in Dialectica
Disp. I. num. 171. & seqq. non necessitare
positivè, ac quoad exercitium ad as-
sensum) sed relinquit indifferentiam ad
dissensum; fatuum quidem, sed qui non
est prima, aut ultima favoritas, ad quam
habemus libertatem indifferentiæ, & in
qua triumphanda meritum magnum ha-
bere possumus. Certè in abstinentia à
multis aliis peccatis solet esse meritum
heroicum, & tamen omnia illa procul
dubio sunt magna stoliditas ad præsen-
tiam gravissimarum rationum ab illis re-
trahentium, v. g. ad præsentiam ratio-
num ex morte, ex iudicio, ex inferno,
ex beatitudine, &c. erutarum.

VIII. Datur demum capacitas, ut
hæretici formales non solum peccent
contrà studiositatem in genere, quæ ob-
ligat ad discendum proprias uniuscujus-
que obligationes, item non solum contra
Fidem in specie, ut obligantem ad
discendum illa, quæ fundant eviden-
tiam moralem (respectivam utiquè, &
uniuscujusque captui proportionatam)
credibilitatis, & credenditatis, & ve-
ritatis intrinsecæ mysteriorum. *Parati*
semper ad satisfactionem omni poscenti vos ratio-
nem de ea, quæ in vobis est, spe; quia hæc
respe-

Lib. 1. de
Trin. c. 20.

respectiva, & uniuersumque captui proportionata evidentia moralis, est ministerium extrinsecum, providentiâ ordinariâ prærequisitum, ut Deus det incrementum intrinsecus, quam evidentiam moralem fateor non debere esse æqualem in omnibus Christianis cum scripserit

Contra Ep.
Maniche.
cap. 3.

Augustinus: *Ut omitram sincerissimam sapientiam, ad cuius cognitionem pauci spirituales in hac vita perveniunt. Et mox: Ceteram quippe turbam non intelligendi vivacius, sed credendi simplicitas turissimam facit.* Item,

ut peccet non solum contra charitatem erga seipsum negligendo propriam salutem; Verum etiam in sensu composito dictæ conclusionis datur capacitas, ut hæreticus formalis peccet peccato specifico pervicaciæ, ac contumaciæ formalis, quæ est nota, & character hæresis formalis; tum quia, ut paulò antè dicebam, si evidentia moralis veritatis intrinsecæ mysteriorum redderet stultum non solum moraliter (& in eo sensu, in quo omne peccatum est stultitia) verum etiam physicè dissensum, idem faceret evidentia moralis credibilitatis, & credenditatis, quam tamen omnes prærequirunt ad fidem juxtà ordinariam providentiam. Nulla, vel levissima, & purè materialis est disparitas in ordine ad hoc; tum quia si negatio rei in conspectu evidentie moralis veritatis esset ignorantia purè physica, seu ignorantia terminorum, non dixisset Christus Dominus de incredulis, eos sugillans quoad moralia, & non præcisè quoad physicas qualitates. *Ut videntes videant, & non videant,* Et non videre, hoc est non assentire veritati in sensu composito videndi illam, hoc est evidentie moralis, sunt hic de eodem: nam si videre, & non videre significant res diversas, multum non esset, quod viderent, & non viderent, id est quod viderent unum, & non viderent aliud, distinctum, & inconnexum; similiter non objurgasset

Mari: 4.

Apostolos inquit: *Adhuc cæcatum habetis Cor vestrum, oculos habentes, non videtis, & aures habentes, non auditis,* ubi etiam reprehendit ignorantiam veritatis; *non videtis, non auditis,* conjunctam cum evidentia morali saltem illius. *Oculos habentes, aures habentes* quæ verba cum sint emphatica, aliquid plus significant quam meram capacitatem, aut etiam debitum

Am. 8.

R. P. de Ulloa, Theol. Tom: 1.

videndi, & audiendi. Similiter si moralis evidentia veritatis esset impossibilis cum voluntaria protervia contra ipsam, non dixisset de se ipso nequam ille, licet aliàs verus Propheta: *Dixit Auditor sermonum DEI, qui novit doctrinam Altissimi, & visiones Omnipotentis videt, qui cadens (nota hoc) apertos habet oculos:* Ergò evidentia moralis veritatis stare potest cum voluntario dissensu adversus illam; tum quia quæ magna est difficultas in eo, quod hæretico formali contingat, quod ille dicebat de se: *Video meliora, proboque, Deteriora sequor;* Et quod Paulus de homine, quem nondum plenè liberavit gratia liberatoris, *Quod odi malum, illud facio, & iterum. Quod nolo malum, hoc ago:* Ergò in conspectu evidentie moralis veritatis potest physicè, & realiter hæreticus, quamvis eam benè capiat, ei dissentire, eo quod corripi sinat se, aut superbiâ, aut pervicaciâ, aut nimio etiam timore, ibi trepidans timore, ubi non est timor, propter quod Joannes *Timidis, & Incredulis* assignat cum aliis reprobis partem *in stagno ardenti igne, & sulphure.* Hinc facile solvuntur argumenta, quæ ex titulis insinuatibus num: 7. & initio 8. possunt erui contra evidentiam moralem veritatis intrinsecæ mysterii Trinitatis.

Num: 24.

Ad Rom. 7.

Apos. 21.

Isai. 54.

Joan. 6.

Lib. 6.

Conf. 4.

IX. Tertium; quod menti insidere debet, est: Non dico existentiam hujus mysterii esse actu absolute moraliter evidentem respectu intellectus nimio timore correpti aut nimia durtie, aut nimia curiositate; sed respectu intellectus rationabiliter dispositi, hoc est respectu intellectus docilis, quæ docilitas est magnum donum DEI pro rebus Fidei juxtà promissionem, quam ex Isaia citat Christus Dominus. *Erunt omnes docibiles DEI:* Quantum enim nocet nimia curiositas constat ex Augustino supra citato, reprehendente se ipsum eo quod nondum Christianus vellet eorum, *quæ non viderem ita me certum fieri, ut certus essem, quod septem, & tria decem sint,* quem vanum appetitum ex quotidianis exemplis refutat capite sequente: quantum nimius timor doceat constat etiam ex nuper producto textu Apocalypsis, & ex verbis Augustini, quæ dedi num: 6. Quantum demum nimia durties, constat Ex Jeremia agente de incredulis.

F 2

Indu-

Jerem. 5. Induraverunt facies suas supra petram, & noluerunt reverti, &c. Ex Moyse. Populus duræ cervicis, &c. Et passim objicitur in scriptura hoc crimen incredulis; transeat ergò, quod existentia hujus mysterii non sit actu absolute moraliter evidens respectu intellectus laborantis aliquo ex his morbis: quia non loquor de illo, (quod si de illo quoque loqui velimus dicam, quæ numero antecedente dicebam) sed de intellectu capace, & disposito, id est docili: Causæ quippè morales prærequirunt quoque in subiecto, quod movere dicuntur, dispositiones proportionatas, non minus quàm causæ physicae. Respectu igitur hujusmodi intellectus ajo esse in Ecclesia, hoc est in sacra doctrina evidentiam moralem existentiae hujus mysterii: sæpè enim contingit, quod propter pravas dispositiones unius intellectus sit ei falsum, aut dubium, aut merè probabile, quod aliàs revera est evidens Metaphysicè, aut saltem moraliter.

X. Quartum. Non dico omnem certitudinem esse evidentiam, cum certum sit omnem actum Fidei Theologicae, ac supernaturalis esse Metaphysicè certum ob Metaphysicam connexionem, quam habet cum sua veritate objectiva: & certum etiam sit non omnem esse evidentem, quandoquidem plurimi sunt obscurissimi propter valdè modicum lumen, quod habemus; Imo nequè dico, omnem moralem certitudinem esse evidentiam moralem, quia cum certitudo, & connexio moralis habeant tres illos gradus, quos distinxì in Prodomo Disp. 5. num. 3. Connexio, & certitudo moralis in gradu infimo verè sunt connexio, & certitudo moralis, & tamen non merentur nomen evidentiae moralis, quia hæc plus aliquid postulat: Hoc aliquid plus, quod dabo inter probandum conclusionem, datur in certitudine morali veritatis intrinsecæ Trinitatis. De hac ergo sola specifica, & determinata certitudine morali existentiae Trinitatis, & cæterorum mysteriorum assero esse evidentiam moralem existentiae ipsius propter specialem qualitatem, qua elevatur hæc moralis certitudo.

XI. Quintum. Aliud est, quod exi-

stentia, sed veritas intrinsecæ Trinitatis sit absolute; ac simpliciter in sensu explicato evidens moraliter (inferatur necnè hæc evidentia ex evidente credibilitate, & credenditate) Aliud quod illa inferatur ex hac. Modò non dico, nisi primum, pro quo mox dabo aliam rationem distinctam ab evidentia credibilitatis, imo, & credenditatis, hoc est obligationis credendi, cum hæc evidentia possit stare aliquando, & in alia materia absque evidentia morali veritatis, (sicut etiam potest stare evidentia probabilitatis) Unde fit, quod ex evidentia credibilitatis, credenditatis, & probabilitatis sumpta genericè non inferatur semper, & ubivis evidentia moralis veritatis. Ast non in rebus Fidei, de quibus solis nunc loquor. Explicatur, & Probatur. Credibilitas, & probabilitas consistunt physicè, ac realiter in eo pondere rationum suadentium veritatem rei A, ut prudenter, ac rationabiliter possumus quidem illi assentire, sed non sit adeo necessarius hic assensus, ut dissensus oppositus sit prorsus temerarius, & imprudens attentis solis rationibus suadentibus assensum? Hoc est, quod experimur in omni alia re credibili, & probabili: nimirum graves quidem rationes ad judicandum rem esse veram, non tamen tales, ut per se præcisè reddant imprudentem ac temerarium omnem dissensum, & etiam dubium, & etiam formidinem illius. Rursus credenditas consistit physicè, ac realiter in obligatione undecumque proveniente, & hic, & nunc urgente ad assentiendum veritati rei A, vel saltem ad non dissentendum illi. At potest dari aliquando, & loquendo in genere, evidentia moralis illius ponderis rationum, nec non illius obligationis absque evidentia morali veritatis intrinsecæ, imo cum evidentia falsitatis; tum quia illud pondus, & illa obligatio nequè identificantur realiter, neque connectuntur Metaphysicè cum veritate intrinsecæ rei, ut patet; Et: quoties A, nequè identificatur, nequè connectitur Metaphysicè cum B, potest aliquando, & loquendo in genere, dari evidentia moralis existentiae rei A, quin detur existentiae rei B; tum quia casus practicus est, quod reflexè judicemus ea ad-

adesse motiva ad iudicandum Petrum commisisse furtum v. g. ut iudex prudenter possit, imo, & debeat ferre sententiam contra illum; & tamen quod aliunde habeamus evidentiam plenam de eo, quod ille revera non commisit furtum. Ergo loquendo in genere evidentia moralis credibilitatis, & credenditatis aliquando stare potest, & in aliqua materia absque evidentia morali veritatis, imo cum evidentia falsitatis.

XII. Sed hoc contingit, quando evidentia moralis est probabilitatis, credibilitatis, & credenditatis *respectu alius persone, sed non respectu tui ipsius*. Quoniam si habueris privatam evidentiam moralem falsitatis, talem, ut prævaleat contra prædictum pondus rationum suadentium prudentiam, & obligationem credendi, tunc *respectu tui* illa res non est absolute, omnibusque pensatis evidenter probabilis, credibilis, aut credenda, quippe privata tua evidentia enervat pondus illud rationum, quod est validum, & præpotens respectu illius alterius personæ. Quæ non habet illam aliam evidentiam, quam tu habes; quod si res apparuerit tibi absolute, omnibusque pensatis evidenter probabilis etiam respectu tui, evidenter credibilis etiam respectu tui, evidenter credenda etiam à te, & præterea hæc reflexa evidentia non enervetur, aut corruptatur per ul- lum fundamentum ad prudenter negandum, aut saltem dubitandum intrinsecam veritatem rei illius, aut saltem ad prudenter suspicandum contra illam tunc res illa non solum est evidenter credibilis, & evidenter credenda, verum etiam est tibi moraliter evidenter vera in se ipsa; Et hoc, quamvis in se ipsa, & coram Deo sit falsa, quippe evidentia purè moralis intrinsecæ veritatis rei non connectitur essentialiter cum intrinsecâ ipsa veritate; Undè potest esse falsa, sicut nec connexio purè moralis trahit secum essentialiter suum terminum; Unde potest frustrari; Et hoc est, quod aliquos decepisse videtur, objicientes hominem imperitum, cui ponatur, ut evidenter credibilis, & credenda quarta persona Divina. Imprimis istud solum probat non omnem evidentiam credibilitatis esse semper, ac ubilibet evidentiam moralem veritatis; sed non probat evi-

dentiam credibilitatis mysteriorum, quæ est in Ecclesia non esse simul evidentiam moralem veritatis intrinsecæ. 2. Isti eidem homini imperito est moraliter evidens 4.^{ta} illa persona; quia evidentia hæc non est quid afficiens objecta, sed cognitionem humanam tendentem in objectum, & cognitio tendens in objectum chimericum, & consequenter falsa, potest esse moraliter evidens respectu habentis illam; siquidem nec omnis evidentia est talis respectu Omnium.

XIII. Probo jam primam partem 2.^æ Conclusionis: Quoties ex una parte tale est pondus rationum suadens, citrà connexionem Physicam, & Metaphysicam (non dico *suadentium*, quia rationes singulæ possunt esse debiles, fasciculus autem, sive complexum ex omnibus solet esse invictum moraliter) suadens inquam, non solum reflexè, hoc est non solum probabilitatem, aut credibilitatem, aut credenditatem, sed etiam directè actualement existentiam, hoc est intrinsecam veritatem rei A, ut attento eo pondere, non nisi per summam imprudentiam possit negari, aut dubitari intrinsecæ veritatis rei A: & ex alia parte nil est enervans aliunde illud rationum pondus, & fundans prudentem dissentium, dubium, formidinem, aut suspensionem contra eam intrinsecam veritatem; quoties inquam hæc duo, unum positivum, & alterum negativum concurrunt, toties est moraliter evidens non solum probabilitas, credibilitas, aut credenditas rei A, verum etiam actualis ejusdem existentia, sive intrinsecæ veritas. Nimirum quia toties hæc est moraliter certa in supremo gradu certitudinis moralis. Et quia in simultate horum duorum stat conceptus evidentie purè moralis, de qua nunc, quæ cum non sit de quidditate hujus mysterii, nequè de modo quo est, ut jam adverti num: 5. sed de sola existentia, veritateque intrinsecâ illius, quomodocumque ea sit, non poscit claritatem circa illa duo, sed tantum circa hoc ultimum; claritas autem circa hoc ultimum nil aliud est à parte rei, quam ingens illud rationum pondus, simul cum exterminio omnis rationis moventis prudentem dissentium, dubium, & formidinem, imo, & suspensionem contra dictam veritatem intrinsecam: quod

si conceptus hic evidentiæ purè moralis non tibi probetur, assigna alium, qui omni, & soli evidentiæ purè morali conveniat, & cave nè des conceptum evidentiæ metaphysicæ quæ sola inter evidencias rapit necessariò intellectum; & cave etiam nè inferas fore, ut habeamus evidenciam moralem nostrorum parentum individuorù; impotentia quippè prudenter negandi, ac dubitandi eos, non fundatur in pondere rationum suadente tales individuas personas esse parentes nostros (cum non habeamus ad hoc rationem aliam, quam testimonium unius sceminae, quæ ratione sexus, & unicitatis, & honoris proprii, testimonium satis debile soler aliàs habere) sed fundatur partim in carentia fundamenti ad prudenter negandum, aut dubitandum veritatem illius testimonii, & partim in conditione ipsa rei, quæ testimonia alia non admittit: Evidenciam autem moralem pono in positivo pondere positivarum rationum, non connexarum physicè aut metaphysicè cum veritate; sed ita suadente veritatem ipsam rei, ut (adjunctâ ex alia parte carentiâ omnis motivi ad prudenter enervandum illud pondus) in sensu composito illius, non nisi per summam imprudentiam possit quis negare, aut dubitare, aut formidare, aut saltem suspicari contrà veritatem intrinsecam rei.

XIV. Stabilità hac idea evidentiæ purè moralis, & quidem non de modo, quo est res, sed solum de eo, quod res est vera, & consequenter stabilita ea majore, qua exorsus sum numerum antecedentem, pergo. Sed in Ecclesia, hoc est in sacris monumentis Scripturarum, Conciliorum, Definitionum, historiarum Virorum Theologiæ peritorum invenitur ex una parte tale pondus positivum positivarum rationum non solum reflexum suadens credibilitatem, & credenditatem, verum etiam directum suadens actualem existentiam, veritatemque intrinsecam Trinitatis quoad positivum, & negativum, ut eo pondere attento non nisi per summam imprudentiam possit negari, aut dubitari, aut timeri veritas ipsa intrinseca Trinitatis. Et ex alia parte nil est movens aliunde ad prudentem negationem, dubitationem, aut formidinem circà ipsam veritatem intrinsecam Trinitatis, ut distinctam à

credibilitate, ac credenditate. Id certum videtur. Quoniam rogo. Absolutè loquendo omnibusque circumspicis, quæ sunt in Ecclesia possumus nè prudenter negare, aut dubitare, non dico credibilitatem, aut credenditatem, sed veritatem ipsam intrinsecam hujus mysterii, aut saltem suspicari contrà ipsam. Vel non possumus? 1. Cave, ne dixeris, alioquin prudenter poterimus peccare graviter contra Fidem, quandoquidem negatio, dubitatio, formido, & suspicio non solum contrà credibilitatem, & contrà obligationem credendi Trinitatem, verum etiam contra veritatem ipsam intrinsecam Trinitatis, est peccatum grave contra Fidem, quæ procul dubio urget ad credendum directè immediatè, atque firmissimè, existentiam Trinitatis, & non solum ad reflexè credendum credibilitatem, & credenditatem ipsius. Si secundum, hoc est, quod dico in ea minore.

XV. Dicendum ergò videtur, quòd licet loquendo in genere non omnis evidenciam moralis credibilitatis, aut credenditatis sit semper & ubilibet evidenciam moralis veritatis intrinsecæ, eo quod evidenciam illa reflexa possit in rebus aliis rescindi per privatam directam certitudinem aliunde debitam, de eo, quòd res illa est falsa; Ast non in casu præsentis, nequè in ulla alia re, quæ ad Catholicam Fidem spectet, quandoquidem non solum datur in Ecclesia dictum positivum pondus rationum positivè suadens, citrà connexionem metaphysicam, existentiam, & intrinsecam veritatem rerum hujusmodi; sed insuper, quidquid sit de privata ignorantia, aut errore alicujus, aut aliquorum, nil prorsus detur in naturis rerum, aut in sacris Ecclesiæ monumentis movens ad prudenter negandum, dubitandum, aut formidandum veritatem intrinsecam harum rerum imò neque ad prudenter suspicandum contra illam. Quod si dixeris id probare solam certitudinem moralem, non verò evidenciam moralem: ad quæstionem de voce detorquebis rem. Et meus modus loquendi videtur magis exactus ad regulam evidentiæ moralis. Quoniam hæc aliquo modo definiri debet, ut distincta à physica, & metaphysica. Atqui non meliore modo, quam hoc:

Tunc

Tunc datur evidentia moralis de existentia, seu veritate intrinseca rei (quidquid sit de sua quidditate, credibilitate, de modo quo est, de obligatione credendi, &c.) Quando tale datur pondus positivum positivorum rationum, suadens illius existentiam v.g. ac intrinsecam veritatem absque connexionione physica, ac metaphysica cum illa; & tale datur extremum omnium rationum adversarum, ut intellectus ambo hæc bene capiens, non possit absolute loquendo omnibusque pensatis prudenter negare, dubitare, aut formidare illam, aut contra illam suspicari. Hæc autem definitio, sive descriptio aptari nequit evidententiæ physiciæ, aut metaphysiciæ, quoniam licet ad præsentiam utriusque nequeamus prudenter negare, dubitare, &c. at impotentia hæc nascitur, quando ambæ hæc evidententiæ sunt immediatæ, ex perceptione ipsa rei citrà discursum, quando sunt mediatæ, nascitur ex ratione physiciæ, aut metaphysiciæ connexa cum intrinseca veritate rei (si enim neutrū eveniat, evidentia erit merè apparens, & merè apparens evidentia non est evidentia, sicut merè apparens sanctitas doctrina, & opulentia non est sanctitas, &c.) at definitio evidententiæ purè moralis, quam dedi, excludit illam immediatam rei perceptionem, tum per sensus, tum per mentem: item excludit rationes physiciæ, aut metaphysiciæ connexas cum veritate ipsa rei, & solum poscit rationes moraliter connexas in supremo gradu cum illa; Ergò definitio, quam dedi, discernit evidentiam purè moralem à Physica, & Metaphysica.

CAPUT II.

*An, & qua ratione possit hoc
Mysterium esse Metaphysicè evidens
Viatori.*

XVI. **D**ico 3. Possibile est Metaphysicè loquendo Principium supernaturale, quo citrà intuitionem, & consequenter in statu viæ possit cognosci evidenter hoc Mysterium, tum per discursum ex reali, & physica connexionione creaturarum in sensu reali cum illo, tum etiam immediatè ex terminis ipsis absque discursu: Ubi advertete. Multum distat clarum lumen gloriæ ab obscuro lumine Fidei. Hæc distantia non est vacua, sed referta possibilibus aliis lu-

minibus. Dico itaque possibile esse lumen supernaturale inferius lumine gloriæ, atque idcirco non influens in evidentiam intuitivam Trinitatis, sed superius lumine Fidei, atque idcirco influens in cognitionem non obscuram, sed evidentem per discursum circà Trinitatem, & lumen aliud perfectius influens in cognitionem per se immediatè evidentem, & ex terminis, non quatenus excludat lumen hoc speciale, à quo procedit; Effet enim Chimera; sed quatenus excludit rationem præviam seu suavisam Trinitatis, ita ut creaturæ illustratæ per illud lumen sit quasi principium per se notum, DEUM esse Trinum, & Unum: sicut nobis parvulo nostro lumine naturali illustratis est principium per se notum: *Quodlibet esse, vel non esse.* Arguo igitur de primo lumine. Si enim de facto datur res adæquatè entitativè creata, nimirum complexum ex intellectu, & lumine gloriæ, cui visio intuitiva hujus mysterii est aded connaturalis, ut sine miraculo nequeat DEUS illam negare, (quo exemplo non nihil enervantur argumenta, quibus adoriuntur multi possibilitatem creaturæ supernaturalis, cui visio Beatifica sit connaturalis) cur non est possibilis substantia creata intrinsecè supernaturalis, ea pollens vi cognoscitiva subjecta tamen DEO in esse, conservari, & operari, ut evidenter detegat in creatura intimam connexionem, quam habet realiter cum Trinitate, atque aded hanc ex illa evidenter probat? Conceptus substantiæ supernaturalis, & simul materialis non repugnat; nam de facto coeunt hæc duo prædicata in unione hypostatica: Si ergò nulla est contradictio in creatura, quæ naturali suâ vi cognoscitivâ, DEO tamen modis dictis subjectâ, cognoscat DEUM intuitivè, nulla quoquè erit in alia etiam supernaturali, quæ naturali sua vi cognoscitiva discernat connexionem realem, quam cum Trinitate habent non modo unio hypostatica, visio Beatifica, & aliæ creaturæ ordinem specialem dicentes ad Trinitatem; sed etiam ceteræ omnes, quæ sanè connectuntur realiter cum DEO, non ut præscindente à vero, & chimerico, sed cum DEO vero, & reali, & consequenter Uno, & Trino. Sed esto quòd repugnet creatura hæc, quam

quam graves Theologi possibile putant, arguo 2. Arduitas, & obscuritas hujus mysterii prætervolat mentem omnis creaturæ hujus providentiæ, in qua non datur prædictum speciale supernaturale lumen; & sic intelligendi sunt S. PP. qui sine dubio loquuntur de rebus prout nunc sunt. Caterum si est per se nota intuitivè creaturis habentibus lumen gloriæ, tametsi non habentibus sit obscurissimum, cur non poterit esse evidens per discursum creaturis gaudentibus speciali lumine dicto, quamvis nobis illud non habentibus obscurissima sit? Sic solvenda sunt argumenta, quæ objicit P. Quiros Disp. 1. de Trinit. Sect. 4. suadendi ergò, eam esse Trinitatis arduitatem, ut per solam intuitionem ipsius superari possit; nego hoc; nam si semel est superabilis, vincitur totam illam arduitatem esse respectivam ad intellectum inermem, & totam impossibilitatem esse apparentem. Si ergo intellectus armatus lumine gloriæ superat illam arduitatem intuendo Trinitatem ipsam & armatus lumine Fidei superat illam, habendo cognitionem certissimam, licet obscuram; cur nequibit armari lumine alio medio inter ea duo, quo superet eam arduitatem, habendo cognitionem infra intuitionem, & supra obscuritatem.

XVII. Arguo jam de 2. lumine, quo evidenter abstractivè, sed immediatè, id est absquè discursu, seu prævia ratione suasiva cognoscatur hoc mysterium à creatura: Eatenus hoc repugnaret, quatenus altitudo hujus mysterii per se præcisè non permetteret evidentiam abstractivam sui ipsius, vel quatenus in genere repugnaret evidentia abstractiva, quæ simul esset immediata. Primum est falsum, nam altitudo, quæ patitur evidentiam intuitivam, ut defacto habetur à Beatis, melius patitur per se præcisè abstractivam, quæ inferior est. 2. dum Est æquivocū, tametsi enim omnis evidentia intuitiva sit immediata; item omnis evidentia immediata, immediatione stante in eo, quod nascatur ex ipso objecto, ut tali, vel specie propria ipsius, sit intuitiva; non tamen omnis evidentia immediata immediatione stante in eo, quod non egeat prævia ratione suasiva; quoniam hæc potest esse purè

abstractiva, habitaque per species alienas (& hac distinctione solvendæ sunt objectiones, quæ fundantur in eo, quod non detur medium inter cognitionem immediatam, & cognitionem intuitivam) Etenim hac specie immediationis cognoscimus evidenter: sex Angelos plures esse, quam Duos, gratiam sanctificantem *existere, vel non existere*, nostramque animam esse in nobis: Et tamen nullum ex his objectis agnoscimus intuitivè sed abstractivè, & per species valde alienas; ergo evidentia abstractiva id est non habita per species proprias objecti, potest esse evidentia immediata immediatione stante in eo, quod necessaria non sit prævia ratio suasiva. Ergò possibilis est cognitio abstractiva quæ non indigeat ratione suasiva sui objecti: Ergò possibile est lumen supernaturale inferius lumine gloriæ, superius tamen lumine Fidei, quo elevatus intellectus naturalis evidenter absquè ratione suasiva cognoscat Trinitatem, non quidem per species proprias sed abstractivè, & per alienas; Et fortè hoc lumine fruebantur sancti illi, qui altissima contemplatione evidenter omnino agnoscebant in hac vita, vel hoc mysterium, vel objecta alia supernaturalia, nobis obscurissima: quocirca non omne per se notum est intuitivè notum, ut evincunt exempla jam data, & prima ipsa principia; quæ utpotè universalia non sunt intuitivè cognita, quia intuitio est de singularibus; & tamen, *ut universalia* sunt prima principia probatione non indigna, & consequenter per se immediatè nota. Igitur hic conceptus: *Per se notum*, est genericus respectu evidentia intuitiva, & abstractiva. Idem dico de illis vocibus. *Cognitio rei, ut est in se, ac prout est in se*, si significant cognitionem non habitam per species alienas, sed proprias objecti, cognitio objecti, ut est in se, est intuitiva: si autem significet cognitionem non indignam ratione suasiva sui objecti, non semper est intuitiva, quia etiam cognitio abstractiva potest non indigere ratione suasiva sui objecti, ut nuper dixi de cognitionibus quæ sunt prima Principia.

XVIII. Objicies. Nihil per se obscurum potest esse per se notum eidem: At Trinitas est per se obscura intellectui natu-

naturali; ergo nunquam potest esse per se nota eidem. Confirm: 1. à P. Herrera qu: 3. de Trinit: n. 60. Si sola terminorum propositio posset evidenter convincere hoc Mysterium, posset intellectus solo naturali lumine illud assequi evidenter: nam quod sola terminorum propositione potest esse evidens, solum eget illà, & attentione intellectus, ut evidenter appareat (sicuti *bis tria esse sex*) & ambo possent contingere intellectui per solum naturale lumen instructo. At sequela est absurda; ergo. 2. à P. Quirós Disp. 1. de Trinit. Section. 3. Hi termini *Unus*, & *Trinus*, ut abstractivi, atque per species alienas habiti opponuntur ex se, ac inter se, nam si objiciantur intellectui destituto gratiâ DEI, oppositi apparebunt. Ergò nec divinitus fieri potest, quod manentes abstractivi, ac per species alienas non sint invicem oppositi: Sicut nec divinitus fieri potest, quod frigus, & calor manentes talia non opponantur mutuò. At si manent oppositi, repugnat dari evidentiam intimæ unitatis, & consortii inter se; ergo. 3. Duntaxat possumus habere evidentiam immediatam, & ex terminis illorum, quæ formaliter, vel virtualiter intuemur: At præcindendo à lumine gloriæ non intuemur formaliter Trinitatem, ut constat. Deindè, nequè virtualiter, quia quantumcumquè elevemur lumine alio supernaturali, non detegemus quidquam plenè, exactèque simile huic mysterio; ergo. Denique, qui fieri potest, ut sibi intellectus evidenter persuadeat, Astra esse paria, si nequè illa numeravit, nequè habet principium ullum evidens, ex quo evidenter concludat eorum paritatem? ergo similiter nequit fieri, quod intellectus sibi evidenter persuadeat, DEUM esse Trinum, si nequè intuitus est illum, nequè habet principium evidens, ex quo evidenter concludat Trinitatem; ergo vel non habet evidentiam illius, vel hæc erit intuitiva, vel saltem habebitur per discursum. Ergo repugnat evidentia Trinitatis quæ nequè habeatur per discursum, nequè sit intuitiva. Pleraque ex his retorquentur in lumine gloriæ, cum quo per se immediatè, ac ex terminis apparet intuitivè Trinitas, quæ sine illo summè

R. P. de Ulloa, Theol. Tom: 1.

obscurè apparet intellectui eidem. Ergo cur non erit possibile aliud lumen supernaturale inferius, cum quo appareat per se evidens sine indigentia rationis suavisæ Trinitas, quæ sine eo lumine appareat per se obscurissima?

XIX. Ad objectionem dissimulato falso supposito (objecta enim ut ostendi Disp. 2. de Anima, nequè sunt per se clara, nequè obscura, quia istæ phrasæ alludunt ad majorem, vel minorem, vel nullam perspicuitatem nostræ mentis, & specierum, quas habemus; siquidem experientia docet unis hominibus esse clarissimum, quod aliis, vel hebetibus, vel minores species habentibus obscurissimum est) Distinguo majorem, non potest esse per se notum eidem, ac in eisdem circumstantiis concedo, in diversis nego; nam hoc idem mysterium, quod per se apparet impossibile intellectui destituto doctrinâ supernaturali, apparet certissimum eidem doctrinâ hac imbuto & etiam cum sit obscurum illi Viatori, est per se evidens eidem illustrato lumine gloriæ: Et ratio est, quia totum hoc consistit in eo, quod objectum idem, quod interdum nobis obversatur per cognitiones obscurissimas, interdum obversetur per minus obscuras, interdum per claras, &c. in quo nulla est difficultas. Et permiffa minore, concedo consequentiam de intellectu sibi solo relicto, vel etiam illustrato per solum obscurum lumen Fidei. Ad primam Confirm: Dist: Majorem, si posset respectu intellectus sibi soli relicti concedo, secus nego, quoniam intellectui illustrato per lumen gloriæ sola sui propositione apparet intuitivè evidens hoc mysterium, & hinc falsum est, quod nos eo lumine carentes non indigeamus, nisi attentione sola ad illud immediatè cognoscendum. Et ratio est, aliud est semper apparere evidentem rem ex sola terminorum propositione: aliud apparere sic in talibus tantum circumstantiis. Illud primum non eget, nisi sui propositione, & intellectus attentione, ut contingit in isto exemplo. 2. dum Autem eget illis aliis circumstantiis. Et hoc modo est Trinitas, quam non dicimus semper, & omni intellectui apparere evidentem ex sola terminorum propositione; sed illi soli intellectui, qui

G

qui

qui habuerit lumen supernaturale dictum. Et similiter, &c. Si ad rationem *noti per se*, ac ex terminis requiritur universè, quod subjectum ex suo conceptu formali includat prædicatum, ut innuere videtur S. Thomas: DEUS ex suo conceptu formali habito non à nobis, sed ab intellectu illustrato per lumen speciale dictum, includeret Trinitatem, sicut ex suo conceptu formali habito à Beatis includit illam, siquidem illis est per se nota ex terminis, atquè intuitive.

2. p. 4. 2.
ms. 1.

XX. Ad 2.^{am} dico idem. Illi termini sunt ex se, ac inter se oppositi negativè respectu intellectûs non elevati superne: At sicut non sunt oppositi respectu intellectûs illustrati lumine gloriæ intuentis illorum concordiam, ita neque in casu nostro. Nam hic intellectus evidentè, licet non intuitive, agnoscere potest eorum concordiam. Et ratio est, quia illi termini non sunt ex se oppositi *& per se præcisè*, sed per aggregatum sui, & carentiæ luminis aperientis ipsorum concordiam, id est sunt ex se oppositi, quia explicant difficultatem, & non solutionem: cumquè hujus explicationis carentia possit divinitus amoveri, etiam sine intuitionè, infuso nimirum lumine sæpè dicto, ideo sine intuitionè potest deficere illorum oppositio apprens. Ad 3.^{am} nego majorem, quia licet nec formaliter, nec virtualiter intuiti simus Angelos, animas nostras, aut substantiam ullam in rebus exactè similibus, evidentiâ tamen multas habemus circâ ista immediatè, atque ex terminis, id est absquè prævia ulla ratione suasiva v.g. *Quatuor Angeli sunt plures quam duo. Anima rationalis nequit simul esse & non esse* sic quamquam nullum totum intuiti fuisset, eotamen ipso, quod sciremus, quid sit totum, & quid pars, illicò absquè ratione suasiva assentiremus huic veritati. *Totum majus est sua parte.*

XXI. Ad 4.^{am} Quemadmodum, quin lumine naturali intuiti fuerimus quodlibet, & quin habeamus principium aliquod, nihilominus lumine naturali, est per se, atquè immediatè ex terminis notum, quodlibet esse, vel non esse; Itâ licet nec intueamur paritatem stellarum, aut Trinitatem personarum nec habeamus principium aliquod, ex quo evidentè deducamus utramquè, est

possibile lumen supernaturale, cui utraqûe sit per se immediatè ex terminis nota; quia duo contradictoria ex hoc elicere nequis, nisi recurrendo ad illam propositionem: *Omne, quod itâ obijcitur intellectui, ut præ sui assensu non indigeat ratione suasiva, est intuitive cognitum ab intellectu.* Quam toties negavi propter prima principia, quæ, ut talia, id est, ut prorsus universalia, non sunt intuitive cognita à nobis, & tamen, ut prorsus universalia non egent ratione sui suasiva, aliàs non essent prima principia. Sicut ergo intellectui illustrato per lumen tenue naturale est primum principium: quodlibet esse, vel non esse, itâ eidem elevato per lumen superius lumine Fidei, sed inferius lumine gloriæ, potest esse primum principium hoc: *DEUS est Unus, & Trinus.*

CAPUT III.

Expositio hujus Mysteriorum ostendit illud non opponi principis naturaliter Evidentibus.

XXII. **A**Dverte: Sicut ratione, ac experientiâ didicerunt homines multas veritates, quæ olim latebant, vel fabulæ putabantur, item deprehenderunt esse falsâ, quæ olim habebantur instar primorum principiorum, (satis exemplorum præbet ars nautica quâ exploratum est torridam zonam incolis scaterè, esse in rerum natura Autipodes, Antecos, & Periecos, quæ omnia prisca existimabant esse phantasmata conficta) Item Astronomia quâ errantium Stellarum, seu Planetarum numerus deprehensus est duplo major propter satellites Jovis, & Saturni penitus olim ignotos. Item deprehensæ sunt fasciæ illius, ansulæ hujus, irregularitas motus martialis, &c. Ita nos lumine Fidei ducti deprehendimus speciem quandam identitatis realis, nec non realis distinctionis, quæ penitus latuerunt prisca Metaphysicos: nempe⁹ identitatem realem, quæ simul sit distinctio virtualis (aut formalis, aut alia similis) hoc est identitatem realem, quæ cum ex parte rerum non sit distinctio realis perindè se habeat in ordine ad suscipiendum ex parte rerum prædicata contradictoria, ac si esset distinctio ex parte rerum. Et hæc est

est species identitatis, quæ datur inter divinas personalitates, atquæ essentialitas; nam cum prorsus sint idem absquæ mixtura distinctionis actualis ab illa, perindè se habent à parte rei, ac si à parte rei essent distincta non sanè quoad omnia, sed duntaxat quoad illa, quæ Fides docet, v. g. *Generare, non generare, generari, non generari, &c.* Similiter deprehendimus distinctionem realem, quæ dum à parte rei non est identitas, perindè se habet à parte rei, ac si identitas esset, non quidem quoad omnia, sed quoad tale, vel tale revelatum à Deo; Et hæc species distinctionis realis datur inter ipsas divinas personas; nam cum ex parte rerum invicem distinguantur, & ex parte rerum non identificentur immediatè inter se, perindè tamen se habent ex parte rerum, ac si mutuo identificarentur, nempe quia ex parte rerum habent eandem indivisam essentialitatem, entitatem, atquæ substantiam.

XXIII. Undè sicut hominem esse Proregem, esse Vicarium, constituitur per id, quod reipsa non sit rex, non sit Episcopus illius ejusdem Populi; perindè tamen se habeat in ordine ad multa ex parte rerum, ac si verè ex parte rerum esset Rex, aut Episcopus illius populi, (passim invenies exempla similia) Ita distinctio virtualis tam longè abest ab eo, quod sit distinctio, ut potius constituitur per hoc, quod est *non esse distinctionem ex parte rerum*, posse tamen præstare ex parte rerum talem, vel talem effectum, quem præstaret distinctio. Similiter identitas virtualis dicta, tam longè abest ab eo, quod sit identitas, ut potius intrinsecè constituitur per hoc, quod est *non esse à parte rei identitatem*: posse tamen à parte rei præstare talem, vel talem effectum, quem præstaret identitas. Datur quidem à parte rei illud, quod est distinctio virtualis, & identitas virtualis dicta, quocirca datur à parte rei hæc distinctio, & hæc identitas; sed nequè illud est à parte rei distinctio, nequè hoc est à parte rei identitas; eo modo, quo datur quidem à parte rei illud, quod est *universale*, illud, quod est *cognitum*, illud, quod est *amatum*; Undè datur à parte rei *Universale fundamentale*; sed non est à parte rei independentè ab intellectu, & voluntate universale, cog-

R. P. de Ulloa, Theol. Tom. I.

nitum, amatum. Et hæc de causa multi Theologi vocant hanc distinctionem *Distinctionem Rationis*. Sed quia hæc vox habere solet in Metaphysica aliam valdè diversam significationem, ideò illà superfedentes utimur hoc termino. *Distinctio Virtualis*: Dixi semper, ac dicam in hoc puncto. *Prædicata contradictoria*, non autem *propositiones contradictorias*, quia illis verbis tantum significatur, quod unum sit negatio alterius; his verò additur, quod sit negatio alterius, & de eodem prorsus subjecto secundum idem. Undè propositiones contradictoriæ nullibi possunt verificari quia ubilibet valet. *Impossibile est eandem omnino rem simul esse, & non esse*. Prædicata autem contradictoria verificantur de omnibus subjectis realiter distinctis. Quapropter nunquam debemus dicere, distinctionem virtualem æquivalere reali, quoad verificandum duas contradictorias; sed quoad suscipiendum duo prædicata contradictoria, quatenus facit distinguendo virtualiter unum subjectum ab alio, ne sint contradictoriæ propositiones, quæ aliàs contradictoriæ forent. Fabulæ videntur antiquis hæc omnia, sicut Antipodes. Verumtamen sicut in rebus naturalibus fallitur mens humana destituta experientia magisterio, ita in rebus sublimioribus, nisi lumen sublimius suboriatur. Ratio autem à priori est principium illud reflexum, quod rationali cuivis altè insidere debet, nempe mentem nostram non esse sicut divinam sed sæpissimè falli etiam in rebus ipsis, quas sensu externo atrectamus; ergò nequè ex eo præcisè quòd prædicta identitas quæ simul sit distinctio virtualis videatur impossibilis intellectui nostro sibi soli relicto, sequitur illam esse impossibilem; nequè ex eo, quòd oppositum videatur prorsus necessarium, sequitur necessarium esse. Consulendi quippe sunt alii testes magis veridici, quam apprehensio purè humana, siquidem eam toties deprehendimus in mendacio.

XXIV. Hæc distinctio virtualis sufficit, ac requiritur ad hoc Mysterium. Consistit hoc in sex veritatibus ab Ecclesia definitis ex Sacra Scriptura. Prima, quòd personæ Divinæ sint realiter invicem distinctæ contra Sabellium damnatum in plerisque Conciliis prioribus, do-

Q 2

cen

centem, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum; esse tria vocabula significantia unam solam personam 2.^m munera diversa. 2.^a Quod una indivisa, & singularis sit substantia seu natura Divina contra Joachimum Abbatem damnatum in Concilio Lateranensi sub Innocentio III.^o docentem, personas Divinas esse unum DEUM unitate collectionis, sicut multi homines sunt unus Populus; 3.^a Quod Pater v.g. non distinguatur realiter à natura Divina contra Gilbertum Porretanum damnatum in Concilio Remensi, & Lateranensi, docentem, divinas Personas realiter distingui à natura. 4.^a Quod Filius sit DEUS, & Patri consubstantialis contra Arium damnatum in Concilio Nicæno, docentem Filium esse creaturam. 5.^a Quod Spiritus sanctus sit DEUS contra Macedonium damnatum in 2.^o Concilio Generali, id est primo Constantinopolitano, docentem Spiritum sanctum esse creaturam. 6.^a Quod Filius procedat à solo Patre, & Spiritus sanctus ab utroque contra Photium jam olim damnatum & contra Marcum Ephesinum, & sequaces damnatos in Concilio Florentino, cui Papa cum Latinis, & Imperator Orientalis cum Græcis interfuerunt. Dico ergo, solam distinctionem virtuales sufficere ad hæc omnia componenda. Primò, quia licet Paternitati, ac essentiae non virtualiter tantum, sed actu antè omnem intellectus operationem, conveniant contradictoria (cui rationi insistit Doctor subtilis cum suis) hoc non probat quòd actu ante operationem intellectus distingui debeant, tum quia distinctio, non debet exactè regulari per contradictoriorum susceptionem, aliàs cum Paternitas, & essentia realiter, simpliciter, & absolute suscipiant contradictoria, distinguerentur realiter, simpliciter absolute, ut dicebat Porretanus; Ergo non distinguerentur solùm formaliter ex natura rei; tum quia sicut calor potest provenire à causa univoca, & etiam à causa equivoca, id est à causa quæ non sit calor, huic tamen æquivalat in ordine ad calefaciendum, ita actualis verificatio contradictoriorum potest provenire à causa, quasi univoca, id est ab actuali distinctione, ac etiam à causa quasi equivoca, id est ab eo,

quod cum non sit distinctio ex natura rei, perindè se habeat in ordine ad hoc munus, ac si distinctio esset: Eo modo quo licet Prorex non sit verus Rex, perindè se habet ad tales, & tales res civiles, ac si Rex esset; Et quatuor uncie argenti licet non sint ex parte rerum una uncia auri, perindè se habent ex parte rerum in ordine ad contractus emptio-nis, & venditionis, ac si essent una uncia auri; ergò ex isto fundamto non habemus necessariam esse distinctionem actualem inter essentiam, & Paternitatem.

XXV. Secundo. Licet Paternitatem, & essentiam disconvenire *positivè* ex parte rerum, esset invicem distingui ex parte rerum, quia hæc positiva disconvenientia clauderet intrinsecè carentiam omnis realis identitatis ambarum; Cæterum dissidere purè *negativè* ex parte rerum, id est non convenire ex parte rerum in omnibus omnino prædicatis non est distingui ex parte rerum, sed non habere ex parte rerum omnem speciem identitatis, nempe *realis*, & *virtualis*; nam eo ipso, quod deficiat hæc 2. id est eo ipso, quod adsit distinctio virtualis, possunt non convenire in omnibus omnino prædicatis, sive immediate, sive mediate, cum hæc sit essentia distinctionis virtualis. Et hoc est, quod in præfenti verificatur; nimirum Paternitatem, & essentiam ex parte rerum disconvenire negativè, hoc est ex parte rerum non convenire in omnibus omnino, siquidem essentia ex parte rerum est communis, & non generat. Paternitas è contrario ex parte rerum non est communis, & generat; ergo non probas dari inter utramque distinctionem ex parte rei, sed solùm non dari omnem speciem identitatis, scilicet realem, & virtuales. Quocirca distinguenda est hæc propositio. Unum actu ex natura rei distingui ab alio est actu ex natura rei non esse illud. Atque concedenda est de non esse illud ob carentiam omnis identitatis cum illo: sed neganda de non esse illud ob carentiam unius determinatæ identitatis cum illo, id est identitatis realis, & virtualis. Quod si dixeris duo distingui actu ante omnem operationem intellectus stare formaliter in eo, quod actu antè operationem intellectus susci-

suscipiant contradictoria (quod nos concedimus de Paternitate, & essentia) negandum est illud; quia aliud est, in quo stat formaliter quidditative illa distinctio; aliud ex quo sui auctores probant illam; Distinctio formalis ex natura rei non stat formaliter quidditative in isto, sicut nec distinctio realis simpliciter talis; sed ex isto probare solent Doctores contrarii distinctionem eam; & jam dixi, illationem non esse bonam, quia sufficit identitas illa, quæ cum neutiquam sit distinctio, perinde se habet in ordine ad hoc, ac si distinctio foret, & hac de causa identitas ea vocatur distinctio virtualis, seu æquivalens. Denique obijciunt esse multa attributa, & quidem ex natura rei, quia non solum ratione nostra est Deus Omnipotens, est immensus, &c. Multitudo attributorum duo dicit; Unum, quod attributa, & verè, & simpliciter existant; Alterum quod invicem distinguantur; quæ enim vel non sunt in rebus, vel sunt unum omnino idem, non sunt multa; concedo ergo multitudinem attributorum in primo sensu, quatenus Deus non est præcisè Omnipotens, neque præcisè immensus, &c. Sed verè, & simpliciter Omnipotens, Immensus, æternus, &c. nego autem multitudinem in 2.º sensu; quoniam ista omnia, quæ diversis vocabulis à nobis exprimentur ob inopiam vocum, & conceptuum nostrorum, à parte rei sunt unum, idem, simplex, neque quidquam convenit uni, quod similiter non conveniat aliis. Sufficit ergo pro mysterio Trinitatis sola distinctio virtualis jam explicata. Cæterum cum in ea sententia sit difficultas tanta, ut solum in obsequium Fidei captivari possit intellectus ad suscipiendam speciem hanc identitatis realis, quæ simul sit virtualiter distinctio, Philosophis priscis omnino ignotam, idcirco licet eà datâ non sit difficultas in hoc Mysterio, adhuc manet obscurissimum, quia obscurissima est solo lumini naturali identitas hæc.

XXVI. Requiritur etiam contra Gregorium, qui ex diametro oppositus Scoto distinctione sola mentali contentus erat ad explicandum hoc Mysterium. Etenim Paternitas prorsus ex parte rerum, & non tantum ratione nostra gene-

rat, & non communicatur Filio; essentia verò ex parte rerum, & non tantum ratione nostra communicatur Filio, & hunc non generat; Ergo ex parte rerum, & non solum ratione nostra distinguuntur, vel saltem carent identitate, quæ simul sit identitas realis, & virtualis; sed carere hac identitate est distingui virtualiter; ergo, &c. Fateor distinctionem virtuales non esse ex parte rerum distinctionem, sicut Prorex non est ex parte rerum Rex; sed æquivalenter duntaxat. Verumtamen non est purè, & præcisè distinctio rationis, quia hæc non inducit capacitatem suscipiendi antè operationem intellectus duo prædicata, quæ antecedenter ad eandem, sunt opposita. Hanc autem capacitatem inducit distinctio virtualis; ergo licet hæc in ratione distinctionis non detur à parte rei, absolute tamen, & omnibus inspectis plus est, quàm sola distinctio rationis, sicut homo licet in ratione Animalis non sit plusquam Animal, absolute tamen plusquam Animal est; Nam etiam est rationalis.

XXVII. Objicit. Totus Petrus distinguitur à Joanne individualiter, & totus ille non distinguitur specificè ab eodem, quin propterea individuum distinguatur formaliter à specie, sed per rationem solum. Ergo totus Pater communicatur Filio essentialiter, & totus non communicatur personaliter, quin detur distinctio virtualis inter personam, & essentiam; sed sola distinctio rationis. Venustum exemplum: sed quod probat, totam Ecclesiam errare in iudicio de summa difficultate hujus Mysterii; nam si exemplum est exactum sicut nulla est absolute, aut conditionatè difficultas in eo, ita neque erit in mysterio hoc. Similiter poterat distinguere Sabelius, & dicere Patrem, & Filium generare paternè, & neutrum generare filialiter, quin daretur distinctio inter Paternitatem, & Filiationem; Undè confusionem personarum haberet. Igitur concessio antecedente, nego consequentiam. Quia Petrum, & Joannem distingui individualiter unice consistit in eo, quod non identifcentur realiter inter se; ergo propositio, quæ enunciat illos distingui individualiter, re ipsa negat illam identitatem, & nihil ultra-

Rursus eos non distingui specificè consistit in eo, quod ambo sunt homines; ergo propositio, quæ enunciat non distingui specificè reipsa enunciat utrumquè esse hominem & nihil aliud: sed utrumque esse hominem, & utrumque identificari realiter inter se sunt objecta prorsus distincta independenter ab eo, quod species distinguatur virtualiter ab Individuo: independenter namquè ab hoc, utrumque esse hominem est veritas necessaria, & utrumquè identificari est chimera; ergo independenter ab eo, quod species, & individuum distinguantur virtualiter, subsistit eos distingui individualiter, & non specificè; ergo ex hoc non sequitur illud, nempe ob diversos sensus, quos habent propositiones istæ intimè expensæ: Caterùm si inter essentiam divinam, & inter Paternitatem non daretur distinctio virtualis, tam necessarium esset, aut tam impossibile, communicari unam, quàm communicari alteram Filio. Ergo idem omnino esset essentiam communicari personaliter, quàm communicari essentialiter, vel tam impossibile hoc, quàm illud; quoniam hic non datur diversitas sensuum, quos ibi produximus; ergo si est necessarium quòd ambæ communicentur essentialiter, & est impossibile, quòd ambæ communicentur personaliter, necesse est, quòd inter eas detur distinctio dicta.

XXVIII. Jam ex data explicatione distinctionis virtualis colligitur, solam identitatem realem duorum non esse firmum principium ad inferendum, quod si unum ex illis identificatur cum A etiam alterum identificatur: vel contra, si unum distinguitur, etiam alterum distinguatur; nam cum ex principiis Fidei habeatur, quod antea putabatur impossibile, nimirum species quædam identitatis realis, quæ revera ex parte rerum præstet idipsum, quod ex parte rerum præstaret distinctio quoad suscipienda prædicata contradictoria; si extrema identificata, de quibus fuerit sermo, habuerint speciem hanc identitatis, perspicuum erit, quod non inferatur identitas unius ex illis cum A, ex eo, quod alterum identificetur cum A: similiter cum ex eisdem principiis speciem quandam deprehenderimus distinctio-

nis realis, quæ antea habebatur, ut impossibile, quæque verè ex parte rerum præstet illud, quod præstaret identitas, (id est, quod extrema distincta habeant unam indivisam essentiam) si extrema fuerint distincta specie hac distinctionis, perspicuum est, quod non inferatur distinctio in essentia, ex eo quod illa invicem distinguantur. Et hinc jam apparet ratio, ob quam Mysterium hoc non destruit, imò explicat principia metaphysica, artem syllogisticam, conversiones Logicas, id est ob quam per mysterium hoc noverimus, quæ identitas, & distinctio debet esse illa, quæ bases sunt, & fundamenta horum omnium. Etenim omnia hæc vel innuntur identitati reali, quæcumquè illa fuerit extremorum; item distinctio reali, quæcumquè illa fuerit. Vel tali determinatæ, atquè specificæ identitati, scilicet, quæ simul non sit distinctio virtualis, nec non tali determinatæ, atque specificæ distinctio, scilicet quæ simul non sit identitas virtualis. Si primum, fatemur mysterium hoc ista omnia prosternere; sed in isto sensu, neque sunt principia metaphysica, neque ratio naturalis, nequè ars legitima syllogizandi, aut convertendi propositiones, quia in nullum ex eis, quæ verè sunt huiusmodi potest cadere falsitas; quod enim falsum fuerit, nequè est principium metaphysicum, neque ratio naturalis, nequè fundamentum artis. At in isto sensu omnia ista laborant falsitate, siquidem Fide novimus inter Paternitatem, & essentiam divinam dari aliquam veram, & realem identitatem, nec non inter personas divinas dari aliquam veram, & realem distinctionem, & tamen utrobique collabi ista omnia; ergò si innuntur identitati, vel distinctio reali, quæcumquè fuerint, nequè sunt principia metaphysica neque basis artis syllogistica, &c. Sunt quidem principia metaphysica, & ars respectu intellectus sibi soli relicti; Undè Mysterium hoc opponitur principiis Metaphysicis & artibus istis prout apparent intellectui sibi soli relicto; sed cum hic in eo statu non sit regula veritatis, absurdum nullum elicies; sic Antipodes, & reliqua, quæ meminimus adversabuntur menti humanæ experientiæ carenti; sed quid inde? Num propte-

propterea non erant in rerum natura.

XXIX. Sin vero ista omnia inni-
tantur talibus determinatè distinc-
tionibus & identitatibus dictis hucusque ut in-
niti debent, ad hoc ut assurgant ad digni-
tatem principiorum, mysterium Trinitatis
non opponitur illis: nam ubicumque,
sive in Cœlo, sive in Terra detur iden-
titas, quæ non sit distinctio virtualis,
distinctio, quæ non sit identitas virtua-
lis, vigent ista principia, viget ars syl-
logizandi, & convertendi propositiones;
ergò solum habemus, quod ex
mysterio hoc didicerimus sensum; in
quo sunt firma, & sensum, in quo non.
Probo minorem, descendendo ad u-
numquodque singillatim.

XXX. Hæc principia. *Quodlibet est,
vel non est. Impossibile est eandem rem simul es-
se, & non esse,* sunt ubique firma, & in-
conculsa, si procedant de subiecto reali-
ter, & virtualiter uno simpliciter; qua-
propter de Paternitate, & Innascibilitate,
quæ realiter, ac virtualiter sunt
idem, verificatur *esse, vel non esse com-
munia Filio, item impossibile esse, quod sint,
& non sint communia Filio.* Idem de Filia-
tione, ac passiva generabilitate realiter,
& virtualiter jisdem: Idem de attributis
communibus collatis inter se, ac cum
Divina essentia. Cæterum si ea princi-
pia procedant de subiecto quod licet sit
realiter unum, & simplex, est tamen
virtualiter multiplex, id est, constat for-
malitatibus virtualiter diversis, non sunt
principia metaphysica, sed fallaces quæ-
dam propositiones, atque idcirco de Patre
æterno (idem respectivè de aliis Divinis
personis) sumpto in concreto dicente
Paternitatem, & essentiam non verifi-
catur indivisè, ac indiscriminatim esse,
vel non esse communem cum Filio, ge-
nerare, vel non generare; sed secundum
unam formalitatem, nempe secundum
essentiam, esse communem, & non
generare; secundum aliam, nempe se-
cundum paternitatem, non esse com-
munem, & generare. Ratio est. Iden-
titas inter Paternitatem, & essentiam est
ea specialis, quam novimus ex princi-
piis Fidei, ut dictum est; ergò ita est
utriusquè identitas, ut simul sit capacitas
ut aliquid uni conveniat, quod discon-
veniat alteri; ergò ita est identitas utrius-
què, ut permittat unam communicari,

aliam non, &c. ergò non verificatur in-
discriminatim ac indivisè esse, vel non esse:
impossibile esse, quod simul sit, & non sit. Ubi
obiter notabis, quam immeritò multi
authores utantur in creatis simili distin-
ctione quam sola fides potuit nobis per-
suadere in Divinis, transferentes totam
arduitatem Trinitatis ad formalitates cu-
jusvis entitatulæ occasione fugiendi ar-
gumenta contraria, & defendendi sen-
sus suos particulares.

XXXI. Rursus ea principia: *Quæ
sunt eadem uni tertio, &c. quæ repugnant uni
tertio, &c.* aut procedunt de identitate
reali, quacumquè, vel de illa, quæ
non sit distinctio virtualis ab illo tertio.
Si primum non sunt principia, sed duæ
propositiones falsæ. Quoniam si A ita
identificatur cum B, ut simul distingua-
tur virtualiter ab illo, jam datur capaci-
tas, ut mediatè, vel immediatè aliquid
conveniat uni ex parte rei, quod ex par-
te rei repugnet alteri: (quod passim ex-
perimur in identitatibus inadæquatis,
atque in identitatibus per rationem Me-
taphysicam, & Logicam, quibus exem-
plis possunt hæc omnia explicari) ergò
datur capacitas, ut illi 3.^o conveniat
identificari cum C: & quod hoc repug-
net rei A, vel distingui à C, & quod
hoc repugnet rei A; ergò si identitas A
cum B est simul distinctio virtualis ab il-
lo, & eo quod A & C identificentur cum
B non sequitur, quod identificentur in-
ter se immediatè; & dico *immediatè*, quia
identitas mediata est innegabilis, nem-
pe identitas cum illo medio utriusquè
communi. Hac de causa licet tres per-
sonæ divinæ identificentur cum eadem
essentia, non identificantur immediatè
inter se, & licet mutuo inter se distin-
guantur, essentia non distinguitur ab
illis.

XXXII. Dices nos committere cir-
culum, & reddere idem per idem. Ideò
namquè dicimus identitatem persona-
rum cum essentia non esse puram à di-
stinctione virtuali, quia personæ iden-
tificatæ cum essentia distinguuntur rea-
liter invicem, & ideò sic distinguuntur,
quia identitas illarum cum essentia est si-
mul distinctio virtualis. Nego seque-
lam, & causales ambas; tamen ab ef-
fectibus, aliisque argumentis constare
nobis soleat, rem habere talem essen-
tiam;

tiam; attamen essentia rei non datur ratio strictè à priori. Sic homo est animal rationale, sed undè habes à priori? non dabis rationem, quia ipsa essentia est prior cæteris omnibus, quæ sunt in re. Dico ergo personas Divinas distinguere mutuò, quia prima producit secundam, primaque, & secunda producit tertiam. Habent hunc ordinem originis, quia hæc est sua essentia, habent verò hanc essentiam à priori? nego suppositum, quia non datur ratio à priori essentia rerum, maximè quoad rem præsentem suprâ mentem humanam; à posteriori, aut comitante, quia ita Deus revelavit, ut explicat Ecclesia Catholica. Similiter distinguuntur virtualiter ab essentia Divina habent ex suamet essentia. Dicimus hoc habere ex sua essentia, quia ita colligitur ex duplici propositione de fide; una est, quod *Pater realiter distinguitur à Filio*; altera, quod *essentia divina non distinguitur ab eo*: Quamobrem aliud est, quod personæ non distinguerentur invicem, si non distinguerentur virtualiter, nec distinguerentur sic, si non distinguerentur invicem (& hoc est verum, sed non est circulus Logicus vitiosus, sed Physicus, consistens in mutua connexionem harum distinctio-num) aliud verò, quod illa distinctio probetur à priori per hanc, & hæc per illam. Hic foret circulus vitiosus, sed non ita probamus.

XXXIII. Præterea illud principium. *Identitas realis est summa convenientia in omnibus*, vel loquitur de qualicumque identitate; & sic non est principium: vel de identitate pura à distinctione virtuali & sic est validum; sic essentia Divina, & Omnipotentia identificata hoc 2.º modo conveniunt in omnibus. Item illa principia *de omni de Nullo, &c.* [vel enunciant prædicatum affirmatum, vel negatum de omni, affirmandum, aut negandum, de quolibet quomodolibet contento sub illo, vel specialiter contento, nempe ratione identitatis quæ non sit distinctio virtualis. Si primum non sunt principia: Si secundum sunt principia semper valida. Faciet quidem interdum virtualis distinctio quod propositio universalis sit falsa v. g. *Omne, quod est DEUS identificatur cum Filio*, semel tamen admittitur, infallibiliter infert con-

sequens videlicet, Patrem identificari cum Filio. Deniquè illud principium. *Nihil impotens producere essentiam, naturam, entitatem rei est potens producere illam rem* si loquitur de re identificata cum sua essentia, natura, &c. Tali identitate reali, quæ non sit distinctio virtualis, est ubique validum; si secus, non est principium, sed propositio falsa, ut patet in D E O.

XXXIV. Similiter philosophandum de arte syllogistica: omnis syllogismus, & discursus metaphysicè evidens innititur, vel connexioni, aut oppositioni metaphysicæ unarum rerum cum aliis, (quales sunt multi Syllogismi conditionales, multi disjunctivi, multi copulativi, multa enthymemata, non enim circumscribitur tribus solis figuris Aristotelicis ars tota syllogistica) vel innititur identitati ambarum, vel unius saltem extremitatis cum medio singulari, quales sunt syllogismi expositorii. Vel deniquè inclusioni alicujus, seu aliorum sub ratione communi, de qua affirmatur, aut negatur prædicatum, quales sunt syllogismi de medio communi. Si primum, ubique valet ille discursus; ea enim est natura connexionis, aut oppositionis Metaphysicæ, ut nequè in Cælo, nequè in Terra, nequè in Trinitate, nequè extrâ Trinitatem possit una separari, & alia non separari a suo termino, ut tali; atque idcirco valent hi syllogismi. *Si Pater mittit, & producit Spiritum sanctum, etiam Filius, cui omnia sunt communia cum Patre præter Paternitatem; sed Pater mittit, & producit Spiritum sanctum; ergo & Filius.* Item, *vel Filius mittit Spiritum sanctum, vel non mittit Pater; sed Pater mittit; ergo & Filius.* Alii verò sunt illegitimi, non quia distinctio virtualis sit in causa, ut concessis præmissis negari possit consequentia, in quo staret eversio artis syllogisticæ; sed quia est in causa, ut altera ex præmissis sit falsa; Ultraquè tamen concessâ infallibiliter sequitur consequens v. g. *Si Pater generat, essentia generat; sed Pater generat; ergo essentia:* Concessis præmissis, nequit negari consequentia; sed ob distinctionem virtuales inter Paternitatem, & essentiam, illa major conditionalis est falsa. Falsificare autem unam ex præmissis, non est destruere artem syllogisticam,

ſticam, aliàs nullus ſyllogiſmus laborans præmiſſâ falſâ, eſſet rectus in ratione ſyllogiſmi, quod falſum eſſe Logici nôrunt.

XXXV. Si 2.^{um}, dico quod paulò antè: Si ea identitas eſt ſimul diſtinctio virtualis ab eo medio ſingulari, hoc ipſo eſt capacitas, ut aliquid conveniat immediatè, vel mediatè illi medio, quod repugnat extremitati, & viceverſa; ergo eo ipſo eſt capacitas, ut medio conveniat identificari cum altera extremitate, & hoc repugnet primæ; vel medio conveniat diſtingui ab illa extremitate, & hoc repugnet alteri; ergo eo ipſo ſyllogiſmus concludens de extremitate prima id ipſum, quod verificatur de medio, innititur fundamento fallenti. Hac de cauſa nil valent hi ſyllogiſmi. *Hic Pater æternus generat; ſed hæc eſſentia Divina eſt hic Pater æternus; ergò hæc eſſentia Divina generat: Item. Hæc eſſentia Divina non generat; hic pater eſt hæc eſſentia Divina; Ergò hic Pater non generat;* nempe quia licet hæc Paternitas identificetur realiter ſimpliciter cum hac eſſentia Divina, diſtinguitur virtualiter ab illa; ergo eo ipſo datur capacitas, ut illi conveniat, quod repugnet huic, & contra: Si verò identitas ambarum, vel unius extremitatis cum medio ſit pura à diſtinctione virtuali, tunc eſt inconcuſſum fundamentum ſyllogiſmi expoſitorii, & hic ubilibet erit irrefragabilis; nam licet fieri poſſit, quod una ex præmiſſis ſit falſa, utrâque conceſſâ nequit negari conſequens v.g. *Hic Pater æternus generat, hæc eſſentia Divina eſt virtualiter & realiter hic Pater æternus; ergò hæc eſſentia Divina generat.* Falſum quidem conſequens; non quia eſt malè illatum; ſed quia minor eſt falſa; En quomodo Myſterium hoc non evertit, ſed aperit robur ſyllogiſmi expoſitorii, ſegregando veritatem à decipulis.

XXXVI. Tandem dico idem de ſyllogiſmis innixis incluſioni alicujus ſingularis ſub proprio Univerſali; quoniam hæc incluſio aut eſt ratione identitas virtualis, & realis cum eo prædicato communi, aut ratione ſolius identitas realis, quæcûmq; ſit: Si primum, ſyllogiſmi de medio communi ubilibet concludunt, ita ſcilicet, ut conſeſſis præmiſſis, negari nequeat conſe-

R. P. de Lilloa, Theol. Tom. 1.

quentia. Si 2.^{um} ſyllogiſmi illi nihil valent; ideo ſophiſtici ſunt hi Syllogiſmi: *Nulla perſona Divina eſt communicabilis: Eſſentia Divina eſt aliqua perſona Divina: ergò eſſentia Divina non eſt communicabilis, &c.* Planum eſt, quod ſi eſſentia Divina diſtingueretur realiter à Divinis Perſonis, hi ſyllogiſmi non valent. Atqui idem munus præſtat diſtinctio virtualis dicta. Ergo non valent; poſſunt tamen reduci ad formam, in qua ſint legitimi, eo quod licet una præmiſſa ſit falſa ob diſtinctionem virtuales eſſentiæ ab omni perſona Divina, utrâque tamen conceſſâ, negari nequit conſequentia. V.g. *Omne; quod eſt perſona Divina producit, vel producitur; ſed eſſentia eſt aliquid, quod eſt perſona Divina; ergò eſſentia producit, vel producitur:* Conſequentia eſt legitima, ſed major eſt falſa. Diſcrimen enim inter hanc, & majorem priorem eſt quod prior aſſumit pro ſubjecto immediato *Perſonam Divinam;* poſterior autem: *Id, quod eſt perſona Divina;* Et licet perſona Divina non diſtinguatur virtualiter à Perſona Divina, id tamen, quod eſt perſona Divina (id eſt eſſentia) diſtinguitur virtualiter à perſona Divina; ergò poteſt eſſe verum. *Omnis perſona Divina producit, vel producitur, & falſum; id, quod eſt perſona Divina producit, vel producitur?* Porro ſilum Ariadnæum, ut evadas labyrinthum rerum tam ſubtilium, eſt ſola diſtinctio virtualis aut alia ſimilis, quam ex fide didicimus inter eſſentiam, & perſonalitates, quamquæ nuſquam a libi invenimus; & hinc origo difficultatis in apprehendendo hanc rem. Poſſunt denique formari Syllogiſmi, qui veri undequaque, & legitimi ſint, v.g. *Nulla perſona Divina eſt communicabilis, ſed Filius eſt aliqua perſona Divina; ergò non eſt communicabilis.* Veræ præmiſſæ, legitima conſequentia, verum conſequens. Ecce quomodo Myſterium Trinitatis non infringit artem ſyllogiſticam, ſed detegit fallaciam illius, quæ videtur ars ſyllogiſtica, & non eſt, niſi ars deceptoria.

XXXVII. Subſiſtunt demum regulæ converſionum Logicarum benè intellectæ, quoniam illarum fundamentum eſt; omnem identitatem adæquatam, omnemque diſtinctionem ſimilem (de aliis non ita certum) eſſe mutuam: At etiam

H

etiam

etiam hoc verificatur in Divinis, ubi nullam produces id generis identitatem, aut distinctionem, quæ mutua non sit; ergo etiam in Divinis subsistunt fundamenta Logicarum conversionum; ergo hæc in divinis erunt validæ. Sed obijcies. Vel sunt bonæ, vel malæ hæc conversiones. *Nulla persona Divina est realiter communicabilis; ergo nihil realiter communicabile est persona Divina.* Item. *Aliquod realiter communicabile est persona Divina; ergo aliqua persona Divina est realiter communicabilis:* Si sunt bonæ, cum utrumque antecedens sit verum, etiam erit verum utrumque consequens; sed utrumque consequens est erroneum, ut constat: ergo, &c. Si sunt malæ; ergo vel identitas inter personam, & essentiam (quæ profectò est communicabilis & actu realiter communicata singulis personis) non est mutua, vel licet mutua sit, tamen conversio illi innixa non concludit. Respondetur istas esse ex propositionibus, quæ prius exponi, quam converti debent. Igitur quemadmodum oportet distinguere realiter inter *universale*, & *id, quod est universale*, hoc enim datur independentem ab intellectu, secus illud, quamvis videantur prorsus idem. Ità oportet distinguere virtualiter inter *communicabile*, & *id, quod est realiter illud communicabile*. Item inter *Incommunicabile*, & *id, quod est realiter illud incommunicabile*, quamvis videantur prorsus idem. Personæ divinæ sunt *id, quod est realiter communicabile*, nam sunt essentia divina, quæ realiter communicatur singulis personis; sed non sunt realiter communicabiles; nam Persona Patris v. g. non communicatur Filio, nisi incidamus in Sabellianismum. Item essentia Divina est *id, quod est realiter incommunicabile*, nam est Paternitas e. g. quæ realiter incommunicabilis est; sed non est realiter incommunicabilis. Et totum hoc pendet ex specialissima specie identitatis inter essentiam, & Personas, quæ simul est distinctio virtualis earundem, & quæ in hoc puncto facit idem, quod faceret distinctio realis; sicut *id, quod diximus in exemplo allato dependet ab identitate inadæquata inter Universale, & id, quod est Universale*; Et quemadmodum in hoc exemplo, *id, quod datur independentem*

ter ab intellectu est *id, quod non datur independentem ab intellectu*, est inquam inadæquatè, sed non adæquatè, in quo staret contradictio; ita in casu nostro, *id, quod est incommunicabile, nempe Persona*, est *id, quod est communicabile, nempe essentia*: est inquam realiter duntaxat, sed non realiter, & virtualiter, in quo solo staret absurditas. Et similiter *id, quod est communicabile, nempe essentia*, est realiter duntaxat *id, quod est incommunicabile, nempe Persona*. Ubi nullam aliam invenies difficultatem, quam sophisticum terminorum-lusum. Hinc infertur, quod si prima illa conversio *Nulla Persona Divina est communicabilis*, reddat hunc sensum, *Nulla persona Divina est id, quod est communicabile est falsa*. Unde potest consequens esse falsum, licet conversio sit legitima: similiter si illud consequens secundum. *Aliqua persona Divina est communicabilis*, reddat hunc sensum. *Aliqua persona Divina est id, quod est realiter communicabile, est verum.*

XXXVIII. Sed quia adhuc potest urgere adversarius, advertet: cum ex principiis Fidei habeamus inter personas, & essentiam dari distinctionem virtualementem aut aliam similem quoad communicari, & non communicari, habemus similiter communicabilitatem essentiæ esse prorsus necessariam; personarum verò prorsus impossibilem; ergo habemus has duas communicabiles esse realiter diversas; Tum sic: Ista conversio. *Nulla persona Divina est communicabilis*, vel negat identitatem personarum divinarum cum communicabilitate *sui ipsarum*, vel cum communicabilitate *soliuss essentiæ*. Si primum, est vera; sed debet sic converti; *Ergo nulla communicabilitas ipsarum est persona Divina*, quia subiectum convertentis debet esse prorsus idem cum prædicato convertentis; sic autem facta conversione consequentia est legitima, & consequens verissimum, quia nulla chimæra, qualis est illa communicabilitas, est persona Divina. Si 2.^m est falsum, quia cum communicabilitas essentiæ sit realiter, & virtualiter essentia ipsa, omnis persona Divina est realiter communicabilitas essentiæ, quia omnis illa est realiter Deus; ergo falsum est, quod nulla persona Divina sit *communicabilitas essentiæ*: ergo licet

con-

consequentia sit legitima, scilicet *Communicabilis essentia non est Persona Divina*, consequens tamen est falsum. Nec propterea inferas personas Divinas esse communicabiles saltem *communicabilitate essentiae*; nam cum personas esse communicabiles alludat ad *communicabilitatem ipsarum*, dicere illas esse communicabiles *communicabilitate essentiae*, est implicatio in terminis: quoniam est conjungere has duas *communicabilitates* scilicet *ipsarum*, & *essentiae*, quas facit distinctas distinctio virtualis, quandoquidem unam facit impossibilem, aliam necessariam.

XXXIX. Ob: 2.^o Vel essentia est relatio uniuscujusque Personae ad aliam, vel non; si hoc; ergo cum relatio, id est Paternitas, Filiatio, atque spiratio, sit essentia, quia omnia, quae sunt in Deo, sunt Deus, habebimus identitatem hanc non esse mutuam. Si 1.^o sequetur Personas Divinas invicem referri ad essentiam ipsam Divinam, & consequenter hanc non esse communem tribus personis, quia nihil relativum, & nulla relatio est communis tribus Divinis personis. Idem argumentum fieri potest de principio quo productivo Filii v. g. hoc namque principium est essentia Divina, haec verò non est principium Quo productivum Filii juxta Concilium Lateranense sub Innocentio III.^o sic definiens. *Et illa res, nempe substantia, essentia, aut natura divina, non est generans, neque genita, neque producens*; ergo, &c. Respondetur idem. Essentia est id, quod est relatio unius personae ad aliam, est id, quod est relativum, est id, quod est principium quo. Ceterum neque est relatio neque relativa, neque principium quo generativum; nam cum inter relationem (idem dic de ceteris) & id, quod est relatio, detur distinctio virtualis, datur eo ipso capacitas, ut essentia sit hoc, & non sit illud, sicut ob eandem rationem Pater est id, quod est Filius, quippe est essentia divina; sed Pater non est Filius. Ratio ulterior exprimis principis eruta hujus rei est: Distinctionem virtualementer inter essentiam, & Personas divinas menti humanae penitus ignotam, ex solis principiis Fidei novimus; ergo ad ea, & non alia contradictoria inducit capacitatem, quae nobis

R. P. de illa, Theol. Tomi 1.

constant ex eis principiis; sed ex eis constat nobis convenire essentiae, ac relationibus haec contradictoria. *Referre, non referre unam personarum ad aliam, esse non esse principium quo productivum*; ergo ex vi distinctionis virtualis inter essentiam, & relationes, haec, non illa referunt, ac sunt principium quo productivum; ergo ex vi distinctionis virtualis esse relationem, qua Paternitas v. g. referat Patrem ad Filium, est valde diversum ab hoc, quod est esse relationem qua essentia referat Patrem ad Filium. Item. *Esse principium, quo Paternitas sit productiva Filii, & esse principium quo essentia sit productiva Filii*. Tum sic. Quando inquitur in identitatem essentiae cum relatione, ac cum principio quo productivo, aut loqueris in 1.^o aut in 2.^o sensu. Si primum, dico, identitatem esse mutuam, quoniam reciproce identificantur haec duo objecta: *Essentia Divina. Relatio, qua Paternitas refert Patrem ad Filium*. Item haec duo: *Essentia Divina. Principium quo Paternitas est productiva Filii*. Si in 2.^o sensu, neque datur identitas mutua, neque non mutua, quoniam haec duo objecta sunt chimerica. *Relatio, qua essentia refert Patrem ad Filium. Principium quo essentia est productiva Filii*: ergo neque mutuo, neque non mutuo identificantur cum essentia divina; quocirca essentia divina identificatur cum se, quod identificatur cum ipsa, & non identificatur cum eo, quod cum ipsa non identificatur.

XL. Dices demum. Basilium, & fundamentum totius hujus doctrinae fuisse distinctionem virtualementer, cumque haec sit contra lumen naturae, semper subsistit totam hanc fabricam inniti principio adversanti rationi naturali; nego assumptum, quia licet identitas, quae simul sit distinctio virtualis superet mentem humanam sibi soli relictam; absolute tamen, & simpliciter non est contra rationem naturalem, quandoquidem mens nostra sibi soli relictam non est regula fixa, & stabilis veritatum; Ubi repetenda sunt exempla initio prolata ad probandum, quantum erret mens nostra sine magisterio artis, & experientiae. Desiderabit aliquis resolutionem famosae illius quaestionis. *An omnis, & semper distinctio virtualis imponet distinctionem realem in tertio*; sed quia mentem meam hac super

H 2

per

per re sufficienter aperui in Logica majore Disput. 1. num: 71. & seqq. Manum modò tempero à re jam acta.

CAPUT IV.

Attributa, quæ multiplicantur in Divinis.

XL I. **U**Na certò non multiplicantur, ut Omnipotentia, Bonitas, intellectus, & Voluntas, quia unus tantum intellectus, una voluntas, &c. dantur in Divinis personis. Alia certò multiplicantur, de quibus in hoc capite. Alia sunt sub dubio de quibus postea. Dico primo attributa propria hoc ordine ac numero multiplicantur. Duæ origines, quæ constant duplici productione activâ invicem distincta solum virtualiter, & duplici emanatione, seu productione passiva inter se, & ab activis sibi respondentibus distincta realiter. Tres personalitates, quæ in sensu reali ultimò constituuntur, ac distinguuntur realiter per aliquod Relativum prout fuerit expressio, sub qua apparuerint, unde conditionalis illa *si Spiritus sanctus non procederet à Filio, non distinguereetur ab illo* est vera, & falsa in diverso sensu. Demum quatuor relationes transcendentales, & quinque notionnes. Probo primam partem. In Divinis solus Pater est prior origine Filio, id est solus Pater producit Filium; item solus Pater, ac Filius est principium productivum Spiritus sancti; ergo duæ solæ dantur: productiones activæ, una qua Pater generat Filium (& hæc est Paternitas ipsa) altera, qua Pater, & Filius producant Spiritum sanctum, & hæc est spiratio activa. Hæc est eadem penitus in Patre, & Filio dicente Concilio Florentino Sess. ultima: *Definimus, ut hæc Fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, quia Spiritus sanctus ex Patre, & Filio æternaliter est, & ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio, & unica spiratione procedat.* Ubi illud tanquam non significat similitudinem, sed est explicatio realitatis, sicut illud *quasi* quo utitur S. Joannes cap. 1. *Quasi Unigeniti à Patre* & illud, quo utitur S. Marcus cap. 1. *Erat enim docens eos, quasi potestatem habens, & non sicut scriba.* Ergò spiratio activa identificatur cum Patre, & Filio; ergo ita cum Paternitate identificatur ut habeat ali-

quid, quod Paternitati repugnet. Ergò distinguitur virtualiter à Paternitate: ergo hæc duæ productiones, activæ nimirum Paternitas, & spiratio activa, distinguuntur invicem virtualiter: quocirca sicut est Mysterium Trinitatis, quia tres personæ distinctæ identificantur cum eadem simplici natura, ita est Mysterium dualitatis, quia duæ Personæ distinctæ identificantur realiter cum eadem simplici spiratione, seu activa productione Spiritus sancti, quæ hac de causa est distincta virtualiter ab utraque, nec non à natura Divina, siquidem distinguitur realiter à Spiritu sancto, quocum identificatur realiter essentia Divina.

XLII. Undè sicut sensibilitas est differentia subalterna qua homo, & equus inter se conveniunt, & simul differunt à planta, ita spiratio activa est quasi subalterna differentia, in qua Pater, & Filius invicem conveniunt, & differunt à Spiritu sancto. Non sic passiva missio, & productio, activæque ingenerabilitas, quoniam licet hæc tria reperiantur in solis Filio, & Spiritu sancto; verumtamen passiva missio ad intra, passiva productio, & activa ingenerabilitas Filii identificantur realiter, & virtualiter cum ipso Filio (vel cedo aljud in quo consistant) passiva autem productio, & missio ad intra, nec non incapacitas gignendi personam divinam, quæ competunt Spiritui sancto cum hujus personalitate identificantur realiter, & virtualiter, vel assigna aljud. At personalitates Filij, & Spiritus sancti realiter sunt distinctæ. Ergo quamquam spiratio activa sit omnino eadem in Patre, & Filio passiva tamen missio, & productio, nec non ingenerabilitas activa non est eadem in Filio, & Spiritu sancto: Et ratio est, quia in Divinis duo spiratores non dantur, sed unicus. Dantur verò duo missi, & duo producti.

XLIII. Ob: Omnia, quæ sunt in una Persona Divina sunt in aliis per circuminfectionem, juxta illud, quod semel, & iterum dixit Christus Dominus: *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est?* ergo spiratio activa etiam convenit Spiritui sancto, & eadem productio, missio, & activa ingenerabilitas competit Filio, & Spiritui sancto. Respondeo nego

nego consequentiam, quia circumin-
fessio Personarum divinarum nihil aliud est
ex parte rerum, quam illas frui eadem
essentia, & naturâ juxtâ Augustinum:
Singula sunt in singulis, & singula in omnibus,
& Unum omnia; sed stat bene, quod ha-
beant eandem essentiam, ac naturam,
& nihilominus, quod ab una distingua-
tur realiter, idipsum, quod cum alia
realiter identificatur, nempe quia illud
virtualiter distinguitur ab essentia, seu
natura Divina; ergo ex circumin-
fessione Divinarum Personarum nihil elicis
contrâ nos. Fateor Christum Domi-
num eodem capite, verbisque eisdem
explicuisse circumin-
fessionem in Apo-
stolis addendo, *Vos in me, & ego in vobis.*
Ubi solum significatur reciprocus Amor,
vel etiam reciproca Christi immanentia
in nobis per Eucharistiam, ut docent
Hilarius & Cyrillus. Caterum hoc
non falsificat explicationem dictam cir-
cumin-
fessionis, quoniam Christus Do-
minus proponit ambas circumin-
fessiones, sed distributione accommoda, &
prout unaquæque esse potest ex naturâ
suâ: sed in Apostolis duntaxat potest ef-
fe per amoris reciprocationem, si qui-
dem non est possibilis per identitatem
cum eadem simplici natura illorum; in
personis autem Divinis potest esse, &
necessariò est, non tantum per Amo-
rem reciprocum, sed etiam per identi-
tatem cum eadem simplici natura; ergo
licet verbis eisdem utraq; proponatur,
tamen una est uno modo, alia alio.
Hæreticorum deliria hac super circum-
in-
fessione confutata invenies apud P.
Ruitz de Montoya Disput. 107. de Trin-
nitate. Solere autem Scripturam uti
verbis in sensu valde diverso in eadem
occasione, multis exemplis ostendo
Decade 4. v. g. *Non bibam amodo de hoc
genimine vitis usque in diem illum cum illud biba
vobiscum novum in regno Patris mei.* En vox
illud non significat vinum materiale, quod
significat vox illa *genimina vitis, &c.*

XLIV. Quod autem duæ dentur
Emanationes, seu quod idem est passivæ
productiones inter se, & ab activis
distinctæ realiter, explicatur, & pro-
batur. Quemadmodum producere, &
produci sunt correlativa, ita hominem
distingui ab equo, & equum ab homi-
ne; & tamen id, quo formaliter imme-

diatè homo distinguitur ab equo, scili-
cet sua differentia specifica, non est id
quo formaliter immediatè equus distin-
guitur ab homine, scilicet hujus specifi-
ca differentia, quia malè confunderetur
connexio cum reali identitate, & quia
homo per solam suam essentiam à quo-
cumque alio præscindendo, habet non
esse equum, & quia licet mutua distin-
ctio, utpote conceptus copulativus, im-
portet ambas differentias; tamen ho-
minem distingui ab equo, dicit in recto
rationalitatem, in obliquo hinnibilita-
tem; equum autem distingui ab homi-
ne invertit terminos, & dicit in recto
hinnibilitatem, in obliquo rationalita-
tem: & sicut non sunt idem maritus
Uxoris, & Uxor mariti, quamvis im-
portent easdem penitus entitates; Itâ in
casu nostro licet utrobique sonent eadem
entitates. Idem in præsentî. Patrem
gignere Filium, & Filium gigni à Pa-
tre; Item Patrem, & Filium producere
Spiritus sanctum, & hunc produci ab
illo unico principio, sunt quidem mu-
tuò indispensabiliter connexa respectivè.
Item dicunt eosdem conceptus objecti-
vos; sed inverso ordine; nam quod
unum complexum dicit in recto, alte-
rum dicit in obliquo, & inversim. Pa-
ter quippe, ex sua personali proprietate
habet formaliter immediatè gignere Fi-
lium; ergo sua proprietas personalis,
(nimirum Paternitas) est illud quo for-
maliter immediatè Pater producit Fi-
lium. Rursus hic ex sua characteristica
proprietas habet gigni à solo Patre; er-
go filiatio hæc est illud, quo formaliter
immediatè gignitur à Patre; sed filiatio
est realiter distincta à Paternitate; ergo
id quo formaliter immediatè Pater æter-
nus gignit Filium, est realiter distin-
ctum ab eo, quo formaliter immediatè
hic gignitur à Patre; ergo emanatio,
seu passiva productio Filij distinguitur
realiter ab activa productione. Quod in
creatis non contingit, quia ob opposi-
tam rationem una eademque ratio est,
qua Pater generat, & Filius generatur;
cùmque idem argumentum formetur de
spiratione activa, & de passiva, habet
bimus jam productiones passivas, seu e-
manationes in Divinis realiter distingui
ab activis; Immo, & inter se mutuò,
quoniam una stat formaliter adæquatè

Aug.
Lib. 6. de
Trinit. c. 1.

Hilar.
Lib. 8. de
Trinit.
Cyrillus
sup. ea
verba.

in filiacione; altera in spiratione passiva, quæ realiter distinguuntur mutuò.

XLV. Sed non propterea dantur in Divinis plusquam duæ origines, sive productiones; Hic namque terminus est complexus significans activam, & passivam; At non dantur, nisi duo solum complexa, unum ex generatione activa, & passiva: alterum ex spiratione activa, & passiva; ergo non dantur, nisi duæ solæ Origines in Divinis. Hinc habes disparitatem ad longissimum Catalogum exemplorum, quæ objici possunt, in quibus una sola forma, unum solum exercitium sufficit denominando subjecta duo, v. g. una sola unio necit materiam, & formam una sola actio est exercitium, quo ignis producit calorem, & hic producit ab illo. Una sola hypostatica unione verbum, & humanitas uniuntur. Concedo totum istud; sed nego consequentiam. Tripliter possunt se mutuò respicere, aut mutuò ordinem dicere duo subjecta: primò contingenter, ut Pater, & Filius creati: secundò essentialiter, sed ratione solius connexionis, sicut creatura dicit essentialiter ordinem ad causam Primam; non quia cum hac identificetur, sed quia cum ea Metaphysicè connectitur. 3.º Essentialiter ratione summæ identitatis subjecti unius non cum altero, sed cum ordine, vel respectu ad illud alterum; quando contingit primum, aut secundum, ut contingere solet in istis, aliisque exemplis, una sola forma, unum solum exercitium potest denominare ambo subjecta. Quando contingit tertium, necesse est ponere unum exercitium ex parte unius subjecti, & aliud ex parte alterius. Nam cum subjecta sint realiter distincta, si unum quodque identificatur realiter, & virtualiter cum suo respectu ad alterum, necesse est, quod respectus ipsi distincti sint; Hoc in præsentiarum. Pater æternus non contingenter, non essentialiter ratione solius Metaphysicæ connexionis; sed essentialiter ratione identitatis realis, & virtualis habet esse actu Patrem, id est formaliter immediatè ex sua characteristicâ, & personali proprietate, quæ est Paternitas, sicut homo ex suamet essentia, & non tantum ob Metaphysicam connexionem, habet esse animal

rationale. Filius item essentialiter non ratione solius connexionis, sed ratione identitatis realis, & virtualis habet esse actu Filium, id est formaliter immediatè ex sua characteristicâ proprietate quæ est filiatio ipsa; Ergo unaquæquè ex his personis realiter, & virtualiter identificatur cum suo respectu non habitudinali sed actuali ad alteram; Ergo si Personæ sunt realiter distinctæ, opus est, quod actuales ipsi respectus sint etiam distincti, sed respectus, qui est in Patre vocatur productio activa: qui est in Filio vocatur emanatio, seu productio passiva; Ergò quidquid sit de isto catalogo exemplorum, productio activa, & passiva distinguuntur realiter invicem in Divinis. Idem ob eandem rationem de spirationibus, activa, & passiva.

XLVI. Jam quod Personæ Divinæ sint tres est veritas Catholica, quam passim clamat Ecclesia. *Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti*; sed quia hoc ad controversitas attinet, negotio nostro attendamus. Magna disputatio est inter Theologos circa constitutum formale, ac distinctivum Divinarum personarum, sed temperabitur forsitan sola terminorum explicatione. Dicimus, quod in sensu reali, & objectivo, præscindente à nostris inadæquatis cognitionibus constituuntur ultimo, atquè invicem differunt per aliquod, quod ex parte objecti est realiter, & virtualiter relativum, appareat nec ne relativum, quia hoc pendet ex multiplicitate apprehensionum, seu expressionum, quibus dicere solemus objectum idem. Probant comunitè Theologi hoc crebris Patrum, ac Conciliorum testimonijs agentium, personas Divinas sola relatione invicem distingui. Sed egregiè se expedit ab his testimonijs P. Salmeron: Probant item axiomate illo in scholis recepto ex Anselmo & Boëtio. In Divinis omnia sunt unum, ubi non obstat relationis oppositio; ergo sola hac relatione deficiente, deficeret distinctio Personarum. Ratio nobis facilius desumitur ex eo, quod omnia illa absoluta, ad quæ confugiunt adversarii constituendi ergo, atquè distinguendi Personas per aliquod absolutum, re ipsa ex parte objecti realiter, & virtualiter, quòd relativum sunt, quamvis

Salmeron
tom. 2. in
Evang.
traç. 12.

vis non appareat, relativum per omnes expressiones, quibus proponi potest, sicut nequè homo apparet rationalis per hanc expressionem solam *Animal*, nequè relationes ipsæ apparent quid Divinum per has solas expressiones *Ens*, *aliquid*. Quocirca impugnatores nostri non permittendi sunt hæc illac vagari, sed semper trahendi sunt ad terminos formales nostræ conclusionis, nempe ultimum constitutum, ac distinctivum reale Personarum esse realiter, ac virtualiter quid relativum; licet tale non appareat ex vi præcisè conceptus illius, quo uti potest arguens. Et sic ostenditur. Vel Pater v. g. ex parte rerum distinguitur à Filio formaliter immediate Paternitate ipsa, generationeque activa, vel proxima potestate generandi Filium aut innascibilitate, aut solâ suâ atomâ, & individua personalitate. Hæc sunt, ad quæ confugiunt isti. Sed considerata prout sunt in se ipsis præscindendo à nostris expressionibus, omnia ista sunt realiter, & virtualiter ex parte objecti quid relativum. Sunt namquè realiter, & virtualiter Paternitas ipsa proposita jam his, jam illis terminis, & non probabis aliquid convenire, vel repugnare ulli ex istis formalitatibus, quod similiter non conveniat, vel repugnet ex parte objecti Paternitati ipsi; ergo, &c. Cùmque idem argumentum formari possit de Filio, & de Spiritu sancto, in quibus omnia prorsus absoluta, vi quorum putant adversarij discerni has Personas, sunt realiter, & virtualiter filiatio in Filio, & spiratio passiva in Spiritu sancto, palam fit personas Divinas ultimo constitui, atquè discerni per aliquid ex parte objecti realiter, & virtualiter relativum, quidquid sit de hac, vel illa expressione, qua proponitur ab arguente. Dico semper *realiter, & virtualiter*, quippè sola identitas realis cum relativo non sufficit, ut aliquid sit relativum, essentia namquè Divina realiter identificatur cum relativis, & tamen non dicitur esse relativa, sed esse id, quod relativum est. Quamobrem in omni constitutivo primario absoluto divinarum Personarum, quod tibi objecerint, deprehendes unum ex his tribus, vel non discernere sufficienter unam personam ab alia, ut mera ratio subjecti,

quam ponunt aliqui; vel formaliter ex proprijs terminis esse quid relativum, ut proxima potestas, seu capacitas productionis activæ, aut passivæ, quam ponunt alii. Vel demum esse ex parte rerum aliquid realiter, & virtualiter identificatum cum relativo, id est in Patre cum Paternitate, in Filio cum Filiatione, &c.

XLVII. Undè solum inferre possunt Personas Divinas sub tali, vel tali conceptu constitui, ultimòque distingui per id, quod sub tali, vel tali conceptu non apparet, ut relativum. Quod etiam dicemus nos, & contingit ubiquè. Nam homo v. g. sub tali, vel tali conceptu (*Animalis* v. g.) est id, quod sub illo conceptu non est rationale; verumtamen sicut hinc malè argues hominem verè ex parte rerum non constitui primario, & distingui ultimo ab alijs animalibus per rationalitatem, ita ex isto malè inferes, personas divinas verè ex parte rerum non constitui primario, ultimòque distingui per aliquid, quod ex parte rerum sit realiter, & virtualiter relativum, quod solum esset contradictorium nostræ conclusionis.

XLVIII. Ob: tamen. Prius est esse, quam operari, & esse in ordine ad se, quàm in ordine ad alium: ergo prius est id, per quod Persona Divina est, & quidem in ordine ad se, quam id per quod operatur, & est in ordine ad aljud. Sed primum est, quod constituit personam, & secundum est, in quo stat relatio. Ergo prius est constitutum personæ, quàm relatio; ergo constitutum non est relatio. Confirmatur à P. Amico. Pater distinguitur à Spiritu sancto per Paternitatem, & Filius per Filiationem; sed neutra est relatio ad Spiritum sanctum, ut patet: ergo distinguuntur per illud, quod non est relatio ad personam, à qua distinguuntur. Respondeo adagia illa esse vera in rebus absolutis secus in eis, quæ realiter, & virtualiter sunt relativa, quoniam hæc totum suum esse habent in ordine ad aljud. At personæ divinæ realiter, & virtualiter sunt quid relativum, quoniam Pater realiter, & virtualiter est ob suammet quidditatem Pater actualis, & Filius realiter, ac virtualiter est similiter Filius actualis, &c. ergo. Ad confirmatio-

tionem dico. Sicut homo non differt formaliter immediatè, ac directè à plantis per rationalitatem; sed per sensibilitatem; quia homo, & arbor non conveniunt in genere infimo Animalis, sed in subalterno viventis; ita Pater, & Filius non differunt formaliter, ac directè à Spiritu S. Paternitate, ac filiatione; sed spiratione activa, quæ est ratio ipsorum ad Spiritum sanctum, & quæ est instar generis infimi, in quo conveniunt Pater, & Filius. Præterquam quod sufficit, quod concedit hic author, nempe eos differre ab hoc per aliquod relativum, sive ratio fit hæc, vel illa. Jam si loquamur de Divinis Personis in sensu mentali, & præcisivo, id est prout à nobis apprehenduntur, constituentur, vel non constituentur per aliquid ratione nostra relativum prout fuerit conceptus, sub quo loquamur de illis; non quia rerum objectiva constitutio pendeat à nostro modo cognoscendi, sed quia illarum constitutio formalis ad nostram alludens rationem pendet à conceptu, sub quo nobis obijciuntur: sub unis quippe conceptibus apparent res, ut habentes unum prædicatum, & non ut habentes aljud; sub alijs verò, ut habentes aljud, & non habentes unum, atquè idcirco sub uno conceptu constituuntur ratione nostra per unum, & sub alio conceptu, vel expressione, per aljud.

XLIX. Dico ergò si Divinas personas consideremus purè ac præcisè, ut *Personas*, sive ut *Atomas*, ac *proprus singulares*, nequè constituuntur, nequè distinguuntur per aliquid ratione nostra relativum, quoniam sic apparent præcisè, ut habentes naturam, hujusque complementum substantiale: item apparent præcisè, ut habentes hæcceitatem, sive singularitatem; At nullum ex his est formaliter ratione nostra relativum, quia ambo præcisè, ut talia præscindunt à Paternitate, Filiatione, & spiratione, quamvis realiter, ac virtualiter identificentur ex parte objecti cum eis respectivè: ergò. Sin vero illos *Atomas*, & *Singulares*, intelligas invicem distinctas, jam apparent, ut habentes aliquam relationem, nimirum reciprocam distinctionem; ergo apparent, ut relativæ; ergò ut constitutæ per ali-

quod relativum. Item si consideremus eas ut *primam*, ut *secundam*, atquè ut *terciam*, etiam apparent, ut relativæ; primum namquè, ut primum, essentialiter connotat secundum, qui enim solus sedet in scamno, non sedet primus, sed unicus, & hac de causâ DEUS non est primus, sed unicus DEUS. Secundum etiam ut tale connotat primum, tertius item essentialiter supponit primum, & secundum, quamvis non è conversò; ergo si consideremus personas Divinas ut primam, &c. apparent formaliter ratione nostra, ut relativæ: ergo ut constitutæ per aliquod relativum. Hinc permitto innascibilitatem Patris, ad quam aliqui confugiunt, formaliter, ut talem esse quid absolutum (lego enim Augustinum scribentem: *Cum ingenitus dicitur Pater, non quid sit, sed quid non sit dicitur*)

Cæterum prima persona non constituitur per illam solam in ratione Primæ, quoniam aljud est non esse 2.^a & 3.^a aljud vero esse primam (unicus enim non est secundus, aut tertius, & tamen nec est primus) Innascibilitate constituitur Pater ratione nostra in esse non 2.^æ aut 3.^æ personæ, sed non in esse Primæ; nam Primatus ut talis est conceptus copulativus essentialiter dicens duo, nempe habere alium post se, nullum antè se; Ergo non habebis Patrem constitui in ratione Primæ personæ per aliquid præcisè absolutum. Distinctione ista, qua utimur in conclusione, & ex cujus uno membro dividente non est permittendus transitus ad alterum, solvuntur argumenta quæ multi auctores congerunt.

L. Hinc apparet conditionalem illam famosam (si Spiritus sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab eo) esse veram, & falsam in diversis sensibus. Est vera, si procedat in sensu reali, & objectivo, tum quia duo unica capita distinguunt Spiritum sanctum à Filio, unum est Filiatio ipsa, alterum quod Spiritus S. ex ipso procedat. At in casu isto nequè daretur Processio, ut per se patet, nequè filiatio, nam cum Filio non sit accessorium, sed prorsus essentialiter producere Spiritum sanctum, omnis casus, in quo non daretur hæc productio, est casus, in quo non daretur filiatio; nam deficiente termino intimæ connexionis, deficit fundamentum

tum

s. Aug.
Lib. 3. de
Trinit. c. 6.

um quia fundamenta omnia inducentia distinctionem Spiritus sancti à Filio ex parte objecti, connectuntur cum eo, quod ex illo procedat; ergo deficiente hac processione, deficerent omnia illa fundamenta; ergo si loquamur in sensu reali, & objectivo, verum est, Spiritum sanctum non distinguendum à Filio, si ab eo non procederet, nempe ob intimam connexionem objectivam inter has duas veritates.

L I. Cæterum ea conditionalis est falsa, si procedat in sensu mentali, & metaphysico significante quod præscindendo mentaliter à processione, non detegimus aljud caput distinctionis formaliter præscindens ab ea processione, quoniam eo ipso, quod 2.^a persona obversetur menti nostræ, ut producta per generationem, secus 3.^a obversantur nobis ut distinctæ, vel realiter simpliciter, vel saltem virtualiter: At præscindendo mentaliter ab eo, quod 3.^a procedat ex 2.^a potest hæc obversari nobis, ut producta per generationem, secus illa: quandoquidem generatio passiva 2.^a personæ, & passiva ingenerabilitas 3.^a præscindunt ratione nostra ab hac processione, tam etsi ex parte objecti intimè connectantur cum ea, ut passim contingit in rebus aliis, quæ in sensu reali connectuntur cum suis terminis quin semper appareant nobis ut connexæ; ergo præscindendo mentaliter ab hac connexionem, possumus detegere caput distinctionis, quod similiter præscindat Metaphysicè, & ratione nostra ab ea processione; ergo illa conditionalis est falsa, si alludat ad sensum mentalem, & Metaphysicum.

LII. Nequè dicas fore, ut collabatur potissimum argumentum Patrum Latinorum contra Græcos negantes hanc processionem; tum quia nusquam lego in toto Concilio Florentino, quod istud fuerit potissimum argumentum. Solum namque contigit, quod Joannes explicandi ergo quendam textum S. Basilii objectum à Marco Ephesino usus fuerit propositione, ex qua inferri poterat ista conditionalis, Lege Sess. 18. prædicti Concilii. Tum quia firmissimum argumentum ad probandum hanc processionem sic formatum fuit in eo Concilio. In rebus tam abstractis, & arcanis non

R. P. de tilloa, Theol. Tom. 1.

habemus aljud principium, seu aliam lucem, nisi doctrinam Patrum ex scripturis erutam. Atqui juxta hæc, & illa perspicua testimonia scripturarum, & Patrum, tum Latinorum, tum Græcorum ibidem prolata, & coram tota Synodo lecta, Spiritus sanctus procedit à Filio; ergo hoc suscipiendum est, ut veritas Catholica, & contradictorium repellendum, ut hæresis. Item. Omnia fundamenta probantia Spiritum S. distingui à Filio implicite, vel explicitè alludunt ad processionem, seu missionem illius ab hoc. Ergo omnia illa sunt connexa cum hac processione; ergo si conceditis distinctionem (ut græci concedebant) etiam concedere debetis processionem, vel si hanc negatis, illam negare debetis. Ergo etiam si prædicta conditionalis sit falsa in sensu mentali, & purè metaphysico, subsistit pondus totum rationis ad probandum Spiritum sanctum procedere à Filio.

CAPUT V.

Cætera Divina, quæ multiplicantur.

LIII. **S**ed ad numerum redeamus. Dixi quatuor esse in Divinis relationes transcendentales. Probat. In Divinis dantur hæc quatuor. *Paternitas, Filiatio, Spiratio passiva, Spiratio activa.* Quorum tria distinguuntur realiter mutuo: quartum distinguitur realiter à 3.^o & virtualiter à duobus primis. Sed unumquodque ex his est relatio transcendentalis, & non adest fundamentum ad ponendum aliam; ergo dantur quatuor præcisè relationes transcendentales. Probo primam partem minoris. Relatio transcendentalis est illa, quæ adæquatè identificatur cum fundamento, adæquatèque distinguitur à termino, & per se præcisè est ordo, seu respectus fundamenti ad terminum. Et hac de causa unio Physica est relatio transcendentalis sui ipsius ad extrema, & prædicamentalis horum inter se. At Paternitas v. g. adæquatè identificatur cum suo fundamento, nempe cum Patre, nam hic per se adæquatè, & non per alium habet formaliter immediatè esse Patrem æternum; Deindè adæquatè distinguitur à termino, scilicet à Filio; nam est principium

66
 cipium Physicum illius, quia quodcum-
 què aliud assignes, tandem reducitur
 ad paternitatem: & deniquè per se præ-
 cisè habet esse Paternitatem, & conse-
 quenter ordinem, sive respectu Patris ad
 Filium, nè in infinitum abeamus Pater-
 nitatum reflexarum; ergo Paternitas in
 Divinis est relatio transcendentalis, licet
 non in creatis propter oppositam ratio-
 nem. Cumquè idem argumentum for-
 mari debeat de alijs tribus, sequitur in
 Divinis esse quatuor Relationes transcen-
 dentales. Non nego posse dici Prædi-
 camentales relationes has, nimirum si
 sumantur adæquatè, ac in concreto,
 ita ut Paternitas v. g. sonet tibi comple-
 xum ex Paternitate, ac filiatione, & fi-
 liatio complexum ex Filiatione, ac Pa-
 ternitate, quoniam sic non identifica-
 tur adæquatè cum solo fundamento, sed
 inadæquatè cum hoc, & adæquatè cum
 toto. Sed nos loquimur de his relatio-
 nibus sumptis prout se habentibus ex
 parte fundamenti solum, ubi quæstio
 de voce subreperere potest. Qui plura
 velit, consulat eximium Doctorem.

P. Suarez
 Lib. 5 de
 Trinitate. 7.
 § 2.

LIV. Probo jam divinas notiones ef-
 se quinque Prædicata notionalia didi-
 cerunt Theologi à sanctis Basilio, & Au-
 gustino: Ille enim scribit: *Quia ergo ne-
 cessarium est divinas Personas, ut distinctas co-
 gnoscere, idè etiam necesse est, ut per quas-
 dam proprias notiones inconsusus habeatur in
 Trinitate comparatio.* Hic verò docet:
*Alia est notio, qua intelligitur genitor, alia, quæ
 ingenuus.* Definitur ergo notio. Pro-
 prium, & discretivum signum Personarum.
 Existit quidem ex parte rerum, quia ex
 parte rerum distinguit invicem personas;
 alludit quoquè ad nostrum modum con-
 cipiendi, quatenus nos ducimur illà, ut
 Personas divinas dignoscamus mutuo.
 Probatum itaque dictus numerus quina-
 rius. In primis Relationes quatuor jam
 dictæ omnes sunt notiones; nam una-
 quæquè distinguit à parte rei, & quoad
 nos, unam, vel unas personas divinas
 ab alia, vel aliis: quoad se quippè, &
 quoad nos Pater differt à Filio Paternitate,
 Filius à Patre Filiatione, ambo à Spiritu
 sancto spiratione activa, & hic ab utro-
 que spiratione passiva; ergo unaquæquè ex
 relationibus est proprius character, seu
 discretivum signum; ergo est notio,
 non quidem unius semper Personæ, sed

§ Basilius
 epist. 43.
 § August.
 Lib. 5 de
 Trinitate. 6.

unius, vel duarum, ut spiratio activa
 Præterea innascibilitas Patris licet vir-
 tualiter, & realiter identificata cum Pa-
 ternitate; attamen est etiam notio for-
 maliter præciscens ab illa; ergo sunt
 quinque notiones, unæ distinctæ reali-
 ter, aliæ virtualiter, aliæ tantum per
 rationem, quæ constant ex supra dictis.

L V. Probo innascibilitatem esse
 prædicatum notionale: Ea proprietas
 Divina, cujus expressâ notitiâ indige-
 mus ad cognoscendum Divinas Perso-
 nas, ut distinctas, & secundum ordi-
 nem, quem docet Fides, est notio;
 nam est signum objectivum, quo uti-
 mur ad discernendum illas; at indige-
 mus expressâ notitiâ innascibilitatis seu
 Primatus Patris; ergo, &c. Probatum
 hoc discursu derivato ex principiis Fidei.
 Filius & Spiritus sanctus procedunt;
 ergo assignare oportet in Trinitate Pri-
 mam Personam; ergo assignare illud, per
 quod constituitur in esse Primæ. Sed
 Pater per innascibilitatem, licet non so-
 lam, constituitur in esse Primæ; Pri-
 mum namquè, ut primum, essentialiter
 habet non præsupponere aliud; ergo
 ut inter Personas Divinas discretio-
 nem faciamus, quam docemur à Fide;
 oportet uti innascibilitate Patris; ergo
 est notio.

LVI. Hinc primo in Patre sunt duæ
 notiones ratione sola distinctæ, una passiva,
 scilicet *activa generatio Filii*; altera
 negativa quoad modum, quo explica-
 tur; scilicet *Innascibilitas*, ex quibus coale-
 scit *Primatus*, seu quod sit *prima* Perso-
 na: & insuper alia tertia virtualiter di-
 stincta ab his duabus; scilicet spiratio
 activa. In Filio sunt duæ notiones vir-
 tualiter distinctæ: nimirum generatio
 passiva, & spiratio eadem activa, quæ
 est in Patre. In Spiritu sancto una tan-
 tum notio, videlicet spiratio passiva.
 Et licet alia quoque sint attributa in Di-
 vinis Personis eas discernentia v. g. In-
 spirabilitas passiva in Filio (ex qua arguit
 scotus) ingenerabilitas activa in eodem,
 & in Spiritu sancto, quorum neuter est
 capax hujus generationis. Ingenerabi-
 litas passiva in Spiritu sancto, qui est e-
 tiam incapax, ut producat per gene-
 rationem, Improducibilitas activa in
 eodem. Quia Spiritus sanctus est inca-
 pax producendi Personam Divinam:
 quam-

P. Lib. Trinit.

§ August. Lib. 5 Trinit.

P. Suarez
Lib. 5. de
Trin. c. 9.

quamvis inquam hæc ita sint, nihilominus ista non sunt dicenda notiones. Quia ut prudenter monet Eximius Doctor non est recedendum à communi Theologorum opinione in modo loquendi proprio suæ facultatis. Communis autem modus loquendi Theologorum solum admittit quinque notiones, quas dixi. Ratio autem est; non omne attributum ex parte rerum distinguens personas Divinas est notio; sed illud, cujus expressâ notitiâ egemus ad discernendum immediatè, & directè Divinas Personas. At licet ista omnia attributa dentur in Personis Divinis, nihilominus non egemus expressâ illorum notitiâ ad discernendum immediatè, ac directè divinas Personas; indigemus verò notitiâ illorum quinque, nam eo ipso, quod agnoscamus Spiritum sanctum produci à Patre & Filio, & Filium produci à Patre, & Patrem à nemine, abstrahentes à quocumquè alio, agnoscamus esse in Deo Primam, 2.^{am} & 3.^{am} personam realiter distinctas; ergo illa quinque, & non alia, ad classè spectant Notionum. Quod si Trinitatem contemplerur secundum conceptum etiam negativum, id est, quod sint tres Personæ, & non plures, aliam notionem admittere debemus, nimirum activam improducibilitatem in Spiritu sancto.

LVII. Hinc 2.^o licet omnes relationes sint notiones, non è converso, quia innascibilitas Patris est notio, & non relatio, siquidem non est ordo, seu respectus ad alium; sed potius negatio ordinis ad priorem. Et licet Augustinus scribat. *Non ergo omnino receditur à relativo predicamento, cum ingenitus dicitur*, non est, quia innascibilitas sit formaliter relatio, cum non sit respectus ad alium; sed quia est reductivè, nempe quia negationes quodammodo spectant ad predicamentum, ad quod res positivæ, quarum sunt negationes; cumque nascibilitas spectet ad predicamentum relativum, idcirco sapienter dixit innascibilitatem non omnino recedere à relativo, ut responderet Arianis, arguentibus Patrem distinguere substantia-liter à Filio, ex eo quod distinguatur innascibilitate, quæ cum non sit relatio, oportet, quod substantia sit. Hinc demum innascibilitas, quam dicimus no-

R. P. de Ulloa, Theol. Tom. 1.

tionem Patris, & innascibilitas excludens capacitatem tum ut Pater producat, tum ut communicetur Personæ alii per Productionem. Innascibilitas autem DEI ut hujus DEI, excludit capacitatem ad illud primum, sed non ad secundum, quoniam hic Deus, seu hæc Deitas, licet nequè generet, nequè generetur, attamen communicatur Filio, & Spiritui sancto per productionem, non ipsius, sed aliarum duarum Personarum.

LVIII. Dico 2.^o Duarum tantum personarum fuerunt, atque esse poterunt missiones Divinæ. Hæ consistunt in æterna productione personæ Missæ à mittente, temporalique effectu aliquo potius significante illam, quam hanc. Undè persona Spiritus sancti, ut distincta à suis donis, specialiter mittitur, & donatur justo, specialitèrque eum inhabitat: Probo primam partem. Quamquam enim Pater veniat quoque ad animam justam dicente Christo Domino: *Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*; Duæ nihilominus solæ fuerunt missiones, una qua *Misit DEUS Filium suum factum ex Muliere*. Altera Spiritus sancti. *Quem ego mittam vobis à Patre*, ait Christus. Ratio autem Theologica est ipsa 2.^a pars conclusionis. Missio personæ divinæ non est quid adæquatè intrinsecum, aut ipsi, aut mittenti; sed semiextrinsecum: nimirum complexum resultans ex æterna productione missi à mittente, & effectu aliquo temporali postea explicando; ergo solum potest mitti persona illa, quæ producit ab alia, & solum potest mittere persona, quæ producit. Sed in Divinis solæ duæ personæ producant, Pater scilicet, & Filius; item duæ solæ producantur, nempe Filius, & Spiritus sanctus. Prima verò nequè producit, nequè produci potest, quia est notio, seu character ipsius esse innascibilem. Rursus Deitas in abstracto, nequè producit, nequè producit; Undè nec mittere, nec mitti potest, licet Deus in concreto v. g. Pater producat & etiam producat v. g. Filius. Undè Deus in concreto mittere, & mitti potest: Ergo duæ solæ personæ divinæ mitti, & mittere possunt, quin propterea una extollatur supra aliam; nam cum singulæ sint in singulis per circum-

infect-

infectionem ; tota perfectio mittendi producendi, generandi, spirandi, non præsupponendi aliam personam est in Spiritu sancto, quia tota perfectio horum omnium est divina ipsa essentia, quæ profectò est in Spiritu sancto. Undè si Pater incarnasset, aliòve quovis modo appareret, diceretur quidem venisse in Terras ; sed non missum fuisse.

LIX. Prima pars antecedentis est sententia expressa Hilarii 8. de Trinitate agentis. *Spiritum sanctum mitti à Filio, nil est aliud, quam ab illo accipere.* Item August. *Filius mittitur, non quia minor, sed quia emanatio quedam DEI sincera.* Item Cyrilli *Missum se Filius à Patre dicit, non mutatione locorum, sed sicut calorem ab igne, vel splendorem à lumine:* Deniquè Homil. 26. in Evang. *Eo enim ipso à Patre Filius mitti dicitur, quo à Patre generatur.* Et ibidem loquens de Spiritu sancto. *Ejus missio ipsa Processio est, qua de Patre procedit, & Filio.* Hos quatuor testes omni exceptione majores protuli, quia olim Ariani, & Macedoniani, novissimèque Hæretici Hungari vocati Trinitarii, ex Missionibus Divinis pravè intellectis arguebant inæqualitatem divinarum personarum. Et ratio est; omnis missio essentialiter dicit exercitium, sive exercitationem aliquam à mittente (ut loquitur Hilarius 9. de Trinitate) vel secundum imperium, ut Rex mittit exercitum, ut herus famulum, vel secundum consilium, aut preces, ut homo mittit Amicum, vel secundum impulsum, ut brachium lapidem, vel secundum locum, ut Patronus mittit è Domo sua Libertum, vel demum secundum physicam productionem, ut sol mittit Lucem, Flos odorem, &c. Ergo ubi detur missio, & repugnent quatuor priores modi, illa debet consistere in quinto.

LX. Sed Divinæ personæ mittuntur, ut constat ex scripturis: & cum sint ejusdem prorsus essentia, majestatis, immensitatisque, ut etiam constat ex scripturis, repugnant quatuor illi modi; ergo missio unius personæ divinæ ab alia consistit in eo, quod ab illa producaur. Quamobrem missio hæc non est intelligenda vulgari eo sensu, quo inter nos una persona mittit aliam, ut sapienter notavit Eximius Doctor *Sed tribuitur, inquit, missio divinis personis, imperfectioni-*

Smayor

Lib. 12. de

Trinit. 8. 1.

bus seclusis. Nequè obstat August. 2. de Trinit. c. 15. & Concil. 1. Toletanum docere Filium missum à Spiritu sancto, & à se, ex quo inferri videtur missionem non consistere in productione missi à mittente: quoniam loquuntur de missione prout dicente Incarnationem, id est, effectum ad extrà. Siquidem August. probat propositionem ex illo Matth: *Inventa est in Utero habens de Spiritu sancto.* Et Concilium Tolet. ex Propheta agente, *Es nunc DEUS misit me, & Spiritus ejus.* Incarnatio autem utpote opus ad extrà procedit à Spiritu sancto juxta principium illud sumptum ex S. Dionysio c. 2. de Div. Nominib. *Opera Trinitatis ad extrà sunt indivisa.* Quod Augustinus probat.

LXI. Nequè obstat secundo, quod si missio consisteret in Productione missi à mittente, sequeretur Filium in creatis mitti à suo Patre, quocumque ille iret, nam productus est ab hoc: Sicut enim productiones Divinæ, & creatæ distant infinitè inter se, & ex unis nequimus transire ad alias absquè lapsu; Ita missiones divinæ, ac creatæ. Concedo itaque Filium in creatis non mitti localiter, eo solum quod generatur à suo Patre, quia in creatis datur capacitas subeundi aliquam missionem ex quatuor modis supra dictis. At cum in Divinis non datur: & ex alia parte doceat nos scriptura Patrem misisse Filium suum, & hunc misisse Spiritum sanctum, restat, quod hujusmodi missiones in solo illo quinto modo consistant. Nequè obstat 3.º missionem suoapte conceptu autoritatem innuere, sive superioritatem mittentis supra missum, quia hoc duntaxat est verum de missionibus consistentibus in præcepto, permissione, aliòve simili impulsu morali, vel materiali. Secus de consistentibus in productione missi à mittente. Aliàs Parentes superarent nos in natura: Et quidem passim experimur individua producere alia individua ejusdem perfectionis; neque dicit superioritatem extrinsecam; nam cum Divinis personis producentibus non sit intrinsicum producere personam Divinam, idè, vel nullam, vel intrinsicam superioritatem habere debent supra personam productam.

LXII. Nequè obstat demum duodecim

S. August. c. 15. de Trinit. 8. 1.

Aug. de Trinit. 8. 1.

decim illæ species productionum, quas in caput suum excogitavit Arius probandi ergo, quod ubicumquæ datur productio, datur inæqualitas inter producentem, & productum, qualis invenies apud S. Thomam. Tum quia ut egregiè notavit Augustus: Serm. 38. de Verb. Domini. *Nullus modus processionis alicujus creatura perfecte representat divinam generationem, unde oportet ex multis modis colligere similitudinem, ut quod deesset ex una, aliquatenus suppleatur ex altero.* Quæ regulâ stabilitatâ dico; sol producit lucem, & non est luce antiquior, nam in eodem momento, in quo fuit sol, splenduit. Adam produxit Abel, & tamen non fuit melioris naturæ intrinsicè; ergo ex eo, quod una persona Divina producat, seu mittat aliam, nequæ sequitur major antiquitas, nequæ major perfectio in mittente respectu missæ. Tum maximè quia quidquid sit de humano discursu ab illuminatâ Fidei oculo mundana sapientia fumus abscedat, ut gravissimus S. Leo advertit Serm. 7. de Nativitate. Fide autem docemur identitatem Divinarum personarum in Natura, & simul earundem processionem: quomodo id sit, nec mente, nec verbis assequi pro hoc statu licet, & hac de causa monemur. *Alciorate nè quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.* Item. *Qui scrutator est majestatis opprimetur à gloria.* Item. *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem;* Et demum. *Quæ sunt DEI, nemo novit nisi Spiritus DEI.* Quibus præceptis salutaribus moniti permittimus, quod in omnibus illis duodecim modis Arii sit inæqualitas inter producentem, & productum. Sed nego consequentiam, quia præter illos est alius sublimior, quem solo lumine Fidei detegimus, nempe quo terminus productus consubstantialis sit Principio producenti.

LXIII. Jam quod missio Personæ divinæ non consistat adæquatè in sola æterna productione, est doctrina Augusti. *Non eo ipso, quod de Patre natus est, missus dicitur Filius;* quocirca aliud est, quod includat productionem; aliud quod eam solam includat: nuper dixi primum, modo nego secundum. Quod autem missio dicat effectum aliquem temporalem; docetur ab eodem S. Do-

ctore 2. de Trinitate. *Eo ipso Filium suis se missum, quod factus est Caro juxta illud ad Galatas 4. Misit DEUS Filium suum factum ex Muliere.* Et ibidem de missione Spiritus sancti. *Hæc operatio visibiliter expressa, & oculis oblata mortalibus, missio Spiritus sancti dicta est.* Ratio autem est illa eadem, quæ impulit magistrum Petrum Lombardum ad negandum missiones: omne temporale intrinsicè claudit sive in recto, sive in obliquo aliquod temporale, & incipiens, si enim omnia constitutiva, ut talia, fuerint æterna, constitutum quoquæ æternum erit. At missiones divinarum Personarum sunt quid temporale juxta textum ad Gal. dictum, *Postquam venit plenitudo temporis misit DEUS Filium suum.* Et juxta illud Christi Domini. *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.* Et rursus de eodem Spiritu. *Quem ego, inquit, mittam vobis à Patre:* Ergo hæc missiones claudunt intrinsicè, sive in recto, sive in obliquo aliquod temporale: sed non aliud, quam externam apparitionem Personæ missæ (quia modo loquimur de missione sensibili) vel assigna aliud: Ergo.

LXIV. Sed en gravem difficultatem. Quid est ex parte rerum apparitio unius divinæ Personæ, potius quam alius? nonne omnia opera ad extra communia sunt toti Trinitati? cur apparitio illa columbæ, & ignitarum linguarum fuit potius Spiritus sancti, quam alius Divinæ personæ? quis nam ex parte rerum ille novus modus, quo Persona Divina incipit esse in creatura, quando apparet, seu mittitur? In missione Filii mitigatur difficultas; nam hæc omnia consistunt in eo quod Personalitas 2.^a divina (cui locum dat realis earum distinctio) potius quam alia, immediatè unita fuerit physicè potius quam Deitas; aut Natura Divina (cui locum dat distinctio virtualis illius ab hac) humanitati assumptæ ex Beatissima Virgine. Hæc hypostatica unio est descensus ille de cælis quem tories confitemur in symbolo; non enim descendit localiter aut quatenus humanitas ibi prius fuerit, ut fingebat Valentinus. Quod si in casibus illis, quos meminit vetus testamentum verè apparuit ipsum verbum Divinum (ut putarunt

1. p. 9. 62.
art. 2.

August.
de Trinitate.

Aug. lib. 4.
de Trinitate.
cap. 20.

tarunt multi Patres antiqui; sed refutat Augustinus Lib. 2. 3. & 4. de Trinitate) consequenter ad eam opinionem dici debet, Verbum Divinum sæpe missum fuisse antè Incarnationem; sed cum hæc fuerit omnium famosissima missio, & permanens, sine falsitate, & improprietate dici potest, quod antè hanc missus non fuerit juxta regulam quam exemplis firmavi Decade 1. n. 68. scilicet, solere scripturam denominare rerum feriem ab ultima famosissima actione, & juxta aliam, quam Decade 2. n. 9. notavi, juxta quam dicuntur nusquam fuisse, quæ brevi durarunt tempore. Ex hac missione verbi occasionem forte sumpsit Tertullianus, ut eodem modo explicaret missiones Spiritus sancti: Scribit namque Lib. de Carne Christi cap. 3. Personam Spiritus sancti apparuisse in Columba, quia fuit hypostatice huic unita, quod postea merito refutavit Augustin. 2.º de Trinit. cap. 6. & ep. 102. Tertulliano concinit Origenes confingens eandem unionem Spiritus sancti cum illo Avicularum pari oblato à Deipara in Templo. Lege, quando vacat, singularem hujus authoris cogitationem hom. 14. in Luc.

LXV. Igitur & cum eximio Doctore Lib. 12. de Trinit. cap. 6. sequuto S. Augustinum. Quemadmodum hæc vox *Spiritus S.* potius significat tertiam personam, quam aliam; non quia id habeat ex sua natura, sed unice, quia homines volvere, ex quorum placito derivatur in voces vis tota significandi, & quia licet Divinæ personæ sint indivisæ in essendo, & causando, non tamen in significando passivè, quandoquidem una voce significatur una persona, & aliâ alia. Ita species Columbae, nubis, insufflatio Christi Domini, & ignitæ linguæ cum aëris commotione, ad quos quatuor casus reducuntur missiones omnes sensibiles Spiritus sancti, potius fuerunt missiones, apparitiones, significationesque Spiritus sancti, quam alterius personæ Divinæ; non quia id haberent naturâ suâ, sive per intrinsecam unionem cum rebus illis; sed quia DEUS voluit, illa omnia potius significare Spiritum sanctum, quam aliam personam divinam. Voluit autem propter rationes, quas scit ipse, & propter congru-

entias, quas apud scripturarios invenies. Ratio hujus discursus est. Quoties signum non est naturale, sed ad placitum, tota, quâ pollet, vis significativa, pendet ex placito illius, qui utitur eo signo. At quatuor dictæ species erant signum Spiritus sancti potius, quam alius personæ Divinæ, ut docet Evang. & Apostoli tunc præsentibus intelligebant; Deinde non erant signa naturalia hujus divinæ personæ, ut constat, sed ad placitum DEI utentis illis rebus, ut homines intelligerent, quod ipse illos docebat; ergo quod res illæ significarent potius Spiritum sanctum, & consequenter hujus potius essent apparitiones, & consequenter missiones, tandem pendit ex sola voluntate DEI, & per hanc constitutæ sunt res illæ in esse apparitionis, significationis, externæque missionis Spiritus sancti, potius quam alius divinæ Personæ.

LXVI. Hinc est disparitas ad apparitionem, ac missionem Verbi; nam hæc consistit in unionem hypostatice vera, & reali, proindeque non consistebat formaliter immediatè, sed solum causativè in voluntate DEI, quod humanitas illa potius significaret Verbum, quam aliam Personam; sed in eo, quod potius uniretur physice Verbo, quam alii: Cum verò in apparitionibus Spiritus sancti non fuerit hæc unio, solum potuerunt consistere in voluntate Divina formaliter immediatè de eo, quod res illæ sensibiles potius significarent Spiritum sanctum, quam aliam Personam, sicut homines volunt, quod hoc vocabulum *Spiritus sanctus* potius significet hanc, quam aliam Divinam Personam. Eodem modo explicandæ sunt apparitiones Angelorum, animarum, atque Dæmonum, nempe vult DEUS, quod talis sensibilis species (cui Spiritus non unitur physice) potius significet, videnti hanc animam, quam illam, hunc Angelum, hunc Diabolum, quam illum.

LXVII. Probo jam, Animæ justæ donari, & mitti, non modo supernaturalia dona creata, verum etiam personam ipsam Spiritus sancti, quæ ideo specialiter inhabitat hominem justificatum. Quod adeo verum est, ut erroris notam inusserit sententiæ contrariæ S. 1. p. 9. 41. Thom. Et ratio est crebra hujus favoris
atte-

attestatio in scriptura. Joan. namque 14. dicit Christus D. de justo. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

Et alibi de Spiritu sancto. *Apud vos manebit, & in vobis erit.* Et *Qui manet in charitate in DEO manet, & DEUS in eo.* Et

Ad Rom. 5. Paul. Per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Et rursus. *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à DEO;* At neque ratione, neque auctoritate habemus fundamentum ad detorquendum in alios sensus hæc perspicua testimonia; ergo dicendum est, quod licet tota Beatissima Trinitas veniat, & inhabitet animam justam, sed cum hoc discrimine, quod Pater, & Filius veniunt; sed non mittuntur, neque donantur; Spiritus verò sanctus mittitur, & donatur. Quod agnoscit Ecclesia quando illum vocat. *Altissimi Donum DEI.*

LXVIII. Ubi duo advertit. Primum hanc missionem non modo fieri, quando homo per primam gratiam adipiscitur justificationem, verum etiam quando illa intenditur, aut extenditur, ad specialem potestatem supernaturalem, ut Sacerdotium, vel ad specialissima auxilia, vel ad specialissimum decus supernaturale, atque idcirco alludens Gabriel ad maternitatis dignitatem dixit Virgini nostræ Dominæ. *Spiritus sanctus superveniet in te.* 2.^{um} est, has internas, & perfectas Spiritus sancti missiones nunquam fieri absque gratia sanctificante. Probatur. Spiritus sanctus est in homine, quoties ipsi mittitur, & donatur; ergo per conversionem contrapositionis neque mittitur perfecte, neque donatur, quoties non est in homine: At quoties homo est in lethali non est in homine; ergo tunc nec mittitur, nec donatur perfecte: ergo quoties mittitur, & donatur sic, non est homo in peccato lethali; ergo est in gratia, quia in hac providentia non datur medium: in gratia inquam non pro priori ad missionem, sed concomitanter, aut pro posteriori. Probo minorem 1.^{am} Tum quia Sap. 1. dicitur: *Quoniam In malevolam animam non introibit sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim S. discipline effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superveniente iniquitate.* Tum quia anxius Da-

vid perseverantiæ in gratia, clamabat. *Spiritus sanctum tuum ne auferas à me;* ergo quia auferetur ab Anima simul ac lethale subrepat. Tum quia Paulus sic impudicos fugillat. *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi, tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis?* Ergo supponit homines eo peccato desinere esse membra Christi, id est habitaculum Spiritus sancti ut explicat ibidem; ergo supponit eum discedere ab homine, ubi primum hic lethali inficitur; Par namque est ratio de quovis peccato lethali in ordine ad rem præsentem; ergo Spiritus sanctus non est in homine sine gratia habituali; ergo sine hac nec mittitur, nec donatur perfecte.

LXIX. Dixi semper *Perfectè*, quoniam licet etiam possit dici, quod mittitur, & donatur homini, quando hic assumitur ad dignitatem Propheticam, vel Sacerdotalem, vel similem, ut sane contingere potest conjunctim cum lethali, hæc missio non est perfecta, & simpliciter talis, sed secundum quid; sed quid tandem est ex parte rerum hæc interna missio Spiritus sancti, cum ob suam immensitatem ubique sit per essentiam, præsentiam, & potentiam, & consequenter sit in Peccatore? Quanam est Entitativè specialitas illa, qua est in Justo? Responderetur. Si adventum Divinarum Personarum ad Justum, si missionem, donationemque Spiritus sancti intelligis similem nostris adventibus, nostris donationibus, & missionibus v.g. Libri, barbarè rem intelliges; sunt enim quid altius, & sublimius, quod sic explico: Quemadmodum, tamen Verbum sit ubique tribus istis modis, nihilominus specialissimè est in sacrosancta humanitate, scilicet, quia illi est verè physicè unitum, & hujus unionis natura est, ut præscindendo etiam ab Immensitate, Verbum esset in ea humanitate, hoc ipso, quod illi fuisset hypostaticè unitum; ita servatis servandis, licet Spiritus sanctus sit ubique, & consequenter in Peccatore, tamen specialissimè est tota Trinitas in Anima justa, quia in hac est Charitas, gratiæque sanctificans, & ea est hujus gratiæ conditio, ut etiam præscindendo ab Immensitate, tota Trinitas esset in Anima saltem ob Christi Domini promissionem vel as-

fer-

sertionem: *Ad eum veniemus, &c.* eo ipso, quod anima fruatur gratiâ, & Charitate. Ratio est. Juxta scripturas jam dadas Justus *specialiter* habitatur à Trinitate, & hæc specialiter venit ad ipsum, non significant illud solum, quod justo commune est cum Diabolo; ergo hæc specialitas, vel consistit in eo, quod Pater, & Filius veniant, & Spiritus S. donetur, adventu & donatione simili nostris, vel in eo, quod præcisè donentur creaturæ supernaturales dotes, vel in eo, quod nos dicimus. Primum est barbaries. 2.^m est error juxta S. Thomam; ergo dicendum est tertium. Quod autem sit missio, seu donatio potius Spiritus S. consistit in eo, quod sicut hæc vox *Spiritus sanctus* illum potius significat; ita etiam gratia ipsa, & charitas. Illum autem potius significant, partim quia ex natura sua sunt amicitia cum Deo, & consequenter sunt apta nata ad significandum reciprocum amorem, qui est Spiritus S. inter Divinas Personas; & partim quia Deus sic voluit, cujus est complere significationem in eis signis, quæ ipse instituit, & quæ per se adæquatè non habent illam. Quamobrem convenimus cum eis, quos refellimus, in eo, quod loquendo de missione & donatione nostris simili, sola Dona supernaturalia, non autem persona ipsa Spiritus sancti, mittuntur, & donantur; disconvenimus in eo, quod illi putabant horum bonorum largitionem non sufficere, ut persona ipsa Spiritus sancti specialiter mitteretur ac donaretur. Nos autem putamus sufficere ob expressas illas scripturas, quas produximus, & quas sic intelligunt Doctores.

CAPUT VI.

Attributa, quæ non multiplicantur in Divinis.

LXX. **T**Ota controversia est de illis, quæ dicuntur transcendentia, ut *res, Ens, aliquid, &c.* & aliis terminis solet inquiri, utrum personalitates, seu relationes divinæ addant entitatem, existentiam perfectionemve supra essentiam, quæ dicitur & est communis tribus divinis Personis. Sit Conclusio. Relationes divinæ, etiam ut virtualiter distinctæ ab essentia, nullam

entitatem, existentiam, aut perfectionem important verè, ac realiter ultrà essentiam ipsam divinam tribus personis communem, quidquid sit de modo quo nobis apparent, sive de speciebus, quibus illas cognoscimus. Quapropter sicut in Divinis non dantur tres Deitates, aut tres Omnipotentiaè adhuc relativaè, ità nec tres epitates, nec tres existentiaè, nec tres perfectiones relativaè. Frequentissimi eunt Theologi, præcipuè recentiores, in partem oppositam, & fautor apprehensionem totam te habiturum contrariam, quia in nulla alia rerum, quibus hæctenus assuetus fuisti, deprehendisti rem similem huic Mysterior: sed meminisse debes illius speciei identitatis realis divinarum personarum cum essentia, quam solâ fide novimus, quæquæ simul est virtualis distinctio, seu æquivalentia distinctionis rei à suamet entitate, substantia, essentia, ac realitate, & consequenter est capacitas, ut conveniant contradictoria absoluta, vel conditionata utriusque.

LXXI. Ut rem intelligas, & multas solvas objectiones, adverte, aliud est Paternitatem v.g. etiam, ut virtualiter distinctam ab essentia, esse DEUM, aliud, esse DEUM *deitate relativa distincta virtualiter ab essentia*. Hoc secundum est falsum, aliter quatuor saltem haberemus Deos, unum absolutum, & tres relativos. Illud primum est verum; nam sicut paries etiam, ut distinctus realiter ab albedine est albus, quia ad hoc sufficit unio physica albedinis cum pariete, quam non arceat illa reduplicatio distinctionis. Ità ut Paternitas sit verè, & realiter DEUS, sufficit realis identitas illius cum Deitate. At reduplicatio illa distinctionis virtualis ab essentia non fugat realem hanc identitatem; ergo Paternitas etiam ut distincta virtualiter ab essentia, est DEUS. Eodem modo philosophamur in præsentia; aliud est, quod Paternitas (& idem dic de aliis relationibus) ut distincta virtualiter: ab essentia sit ens, sit bona, sit existens, &c. aliud longe distinctum, quod sit ens sit perfecta, sit existens entitate perfectione, aut existentia adhuc relativis virtualiter distinctis ab essentia. Primum est verum, quia etiam ut distincta virtualiter ab essentia, identificatur realiter

liter cum entitate, cum perfectione, cum existentia, & realitate essentiæ, & consequenter etiam, ut distincta virtualiter ab essentia est ens, est perfecta, est res, & est existens. Hoc non negamus, & hoc est, quod probant argumenta contraria desumpta ex eo, quod Divinæ relationes, ut virtualiter distinctæ ab essentia, constituunt distinguuntque personas, producant, & producantur, & una ex illis physicè unitur naturæ humanæ, quæ argumenta validè urget P. Isquierdo. Probant illa omnia, personalitates etiam ut distinctas virtualiter ab essentia, esse aliquid, habere entitatem, perfectionem, &c. quod non negamus. 2.^{um} est quod negamus. Sicut enim quamquam sint tres, qui Deitate, Omnipotentia, substantiaque fruuntur, non sunt tres Deitates adhuc relativæ, nec tres Omnipotentia (alias haberemus tres Deos relativos, & unum absolutum) sed una sola Deitas, una sola Omnipotentia, & quia illi tres sunt Deus, una eademque entitate, sunt Omnipotens, unâ eademque Omnipotentia. Ita quamquam sint tres, qui entitate, realitate, aliquiditate, existentia, perfectioneque fruuntur, non sunt tres entitates, tres realitates, &c. adhuc relativæ; nempe quia sunt *ens, aliquid, res, & existens*, unâ eademque entitate, perfectione, &c. In Mystero namque tam obscuro eam solam multiplicatam, atque unitatem admittere debemus, quam docemur ab Ecclesia; sed docemur multiplicatam in solis relationibus, personalitatibus, processionibus distinctionibusque; non autem in entitate, realitate, aliisve prædicatis transcendentalibus, quinimmo docemur unitatem in his, ut mox aperiam: Ergo licet sint personalitates, relationes, Processiones, & distinctiones, quæ sunt quid reale, non sunt quæ realia; nam sunt ex parte rerum, quidquid sit de nostro modo concipiendi, una, & indivisa realitas, entitas, atque perfectio: sicut una indivisaque essentia, & substantia, & hac de causa sicut ab hac, ita ab illa entitate, realitateque distinguuntur virtualiter.

LXXII. Cæterum si phrasæ illæ valde familiares adversariis præcipue Herrerae, & Isquierd. ubi supra. *Rela-*
R. P. de Ulloa, Theol. Tom. 1.

iones seipsis. Prout non includunt essentiam. Prout virtualiter distinctæ ab essentia. Secundum se. Prout ab essentia præscindentes. Secundum id, quod addunt ultra essentiam: Et alia id generis reflexiones, significant totalem præcisionem illarum ab essentia, sic nec constituunt, nec distinguunt personas, nec producant, nec producantur, nec sunt quidquam in rerum natura, sed merum nihil, vel potius chimæra, ex quo nihil contra ipsas infertur, sed contra mentem sic præcipientem rem à suamet essentia: Cum enim Essentia Divina, quæ est communis tribus personis non sit idea quædam Platonica, id est essentia, sed nullius essentia; sed sit essentia Patris, essentia Filii, essentia Spiritus sancti, si has personalitates præscindere velis ab illa, præterquam quod est impossibile præscindere omnino rem à sua essentia, habebis idem, quod haberes, si præscindere velis hominem ab Animali rationali v.g. nempe habebis nihil, vel ad summum aliquam chimæram: quocirca quoties objiciatur argumentum aspersum aliqua istarum, vel similibus reflexionum, aut præcisionum, quibus triumphare sibi videntur adversarii, deo illud distinguere dicens: Si isti termini significant omnimodam præcisionem divinarum relationum ab essentia ipsis communi, illæ nequè sunt tres, nequè sunt reales: nequè sunt quidquam, sed purum nihil ob nuper dicta: Si autem duntaxat significant distinctionem virtualem illarum ab essentia, cum ibi imbibatur realissima identitas earundem cum essentia, sunt quid reale, sunt tres, sunt aliquid. At nequè Trinitate, neque realitate, neque aliquiditate entitatum distinctarum ab essentia, sed aliquiditate, realitate, & entitate ipsius essentiæ; sicut sunt divinæ, non divinitate distincta ab essentia, sed formaliter divinitate ipsius essentiæ, idem & eodem modo dixi supra circa constitutum actuum contingentium divinorum.

LXXIII. Probo jam explicatam conclusionem. Non minus intima sunt, atque ad ultimam usque differentiam penetrantia hæc prædicata *Veritas, Res, substantia, essentia*, quam hæc *Entitas, Perfectio, Realitas, Existentia*. Immo synonyma sunt utraq; vel saltem recipi-

K

procè convertibilia; sed quamvis à parte rei dentur in Divinis tres relationes distinctæ, nihilominus non multiplicentur illa quatuor prædicata, & consequenter relationes divinæ realiter distinctæ non important veritatem, rem, substantiam, vel essentiam ultrâ essentiam communem tribus personis: Ergò nequè multiplicentur ex parte rerum quatuor posteriora (quatuor inquam ut mutudè intelligamur) & consequenter relationes non important entitatem, perfectionem, aut existentiam suprâ essentiam ipsam communem. Probo minorem, & imprimis quoad prædicatum veritatis, transcendentalis utique, audi

S. Augusti:
Lib. 7. de
Trin. c. 2.

August: *Pater igitur, & Filius simul una essentia, & magnitudo, & una veritas.* Boët: in Lib: An Pater, &c. sic vestigia prementem Athanasii. *Pater veritas est, Filius veritas est, Spiritus S. veritas est; non tres veritates, sed una veritas.* Anselmum cap. 23. Profol: sic alloquentem Patrem de Filio: *Est ipsa veritas, quam tu, non alia quam tu.* Denique Bernardum: *Pater est verus, id est veritas, Filius est verus, id est veritas, Spiritus sanctus est verus, id est veritas, & hic tres unus verus, id est veritas.*

S. Bern.
Serm. 80.
in Cant.

LXXIV. En lapidem ad retundendum argumenta acuta contraria; si enim non obstante reali multiplicitate relationum, personarum, Originum, &c. est in DEO una sola veritas, illâ eadem non obstante est una sola entitas, una sola realitas, una sola perfectio, & existentia, æquè enim transcendente est illud prædicatum veritatis, atquè hæc alia: ergò argumenta, quæ probent multipliciter horum, vel probant multipliciter illius, vel nihil probant. Rursus quoad prædicatum rei, substantiam, ac essentiam, audi Concilium M. Later: sub Innocentio III.º cui mille ducenti, & quindecim Patres interfuerunt. *Nos autem sacro, & universali Concilio approbante, credimus, & confitemur cum Petro (nimirum Magistro Lombardo, quem Joachimus Abbas accusabat) quod una quedam summa res est incomprehensibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, tres simul Personæ: quia quælibet personarum trium est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura Divina.*

Cap.
Damna.
mus.

LXXV. Ecce primo agnoscit Con-

cilium difficultatem hujus Mysterii, non quia negando multipliciter dictorum prædicatorum augeantur difficultates suprâ illas, quas importat Mysterium; sed quia Mysterio ipsi sunt intrinsecæ difficultates hæc. Ecce 2.º agnoscit unam solam rem, unam solam essentiam, unam solam substantiam non obstante reali triplicitate personarum; Et ecce deum retorsionem aliam objectionum. Cum enim *res, substantia, essentia* sint termini convertibiles, cum *entitate, perfectione, & existentia*, argumenta, quæ probent multipliciter horum, illorum pariter multipliciter, vel nihil, probare debent. Hæc sunt, quæ mevent, ut viam apprehensioni tam acclivem ingrediar; cum enim hujusmodi res non sint definiendæ rationibus metaphysicis; sed sola Patrum autoritate, & hos audiamus, quod non obstante reali personarum multipliciter, producibilitate activa, & passiva, constitutione, distinctione, aliisque quæ congerunt adversarii, in Divinis est una sola res, una sola veritas, una sola essentia, una sola substantia, idcirco dico, quod non obstantibus eisdem, in divinis est una sola entitas, una sola realitas, una sola perfectio, una sola existentia: Et sicut Pater non producit essentiam, substantiamque Filii, sed id, quod est illa essentia, Filiationem nimirum, quam difficultatem complanat specialis illa identitas, quam sola Fide detegimus inter Filiationem, & essentiam; nempe identitas, quæ simul est distinctio virtualis; Itâ Pater non producit entitatem, non perfectionem, non realitatem, non existentiam Filiationis, sed Filiationem ipsam, quæ realiter est illa entitas, illa realitas, &c. Et hanc difficultatem mitigat eadem species identitatis realis.

LXXVI. Vulgaris solutio est distinguere inter Veritatem, essentiam, realitatem, atquè substantiam absolutas, & relativas, diceréque testimonia hæc probare unicitatem illarum, sed non harum, de quo est quæstio. Et hac de causa Pater Herrera concedit in Divinis triplicem essentiam in laxiore significatione, secus in stricta. Contra primò. Deitas non minus transcendit in sensu reali triplicem divinam personalitatem, quam

P. Herrera
de Trin.
n. 26.

quam dicta prædicata transcendent illam: omnia quippe quæ sunt in DEO realissimè, & penitissimè sunt DEUS usque ad ultimam quamquè formalitatem; ergo si ob intimam transcendentiam realem horum prædicatorum respectu relationum distinguis inter entitatem absolutam, & relativam (idem dico de cæteris transcendentibus) inquires unam quidem esse entitatem absolutam, sed triplicem entitatem relativam in sensu reali: similiter debes distinguere inter Deitatem, & Omnipotentiam absolutam, & Deitatem, ac Omnipotentiam relativam, adderèque, Deitatem, & Omnipotentiam absolutam esse quidem unam solam, sed dari in sensu reali triplicem Deitatem, & triplicem Omnipotentiam relativam; ergo dantur in sensu reali tres Dii relativi, & tres Omnipotentes relativi, quod absit: Inisto semper sensui reali, nè adversarius ad latebras solitas confugiat præcisionum nostrarum, cognitionum, modorumque cognoscendi.

LXXVII. Secundò. Ista essentia, atque entitates relativæ sunt realiter ipse DEUS; ergo essentia Divina est realiter essentia uniuscujusquè illarum, quia, ut dixi, non est essentia aliqua Platonica, quæ cum sit essentia DEI, nequè sit essentia Patris, nequè Filii, nequè Spiritus sancti; ergo unaquæquè ut virtualiter distincta ab essentia habet duas essentias virtualiter distinctas, unam, quæ est essentia communis, alteram, quæ est relatio ipsa Paternitatis v. g. Rursus hæc altera essentia cum etiam sit DEUS, essentia ipsa Divina est essentia hujus alterius; ergò hæc altera ut virtualiter distincta ab essentia communi tribus Personis constat rursus duplici essentia virtualiter distincta, una quæ sit essentia Divina, & altera, quæ sit relativa, & sic in infinitum; non quidem præcisionum mentalium, sed essentiarum virtualiter distinctarum, ex parte rerum: Ergo unaquæquè relatio divina constat infinitis essentiis, non quidem mentaliter, & solum ratione nostra, sed virtualiter distinctis. Quod multa quidem res est. Demum cum Patres præsertim in Concilio Lateranensi tam accuratè evolverint rem hanc, maneam dedissent nobis doctrinam, summè alioquin

R. P. de Ulloa, Theol. Tom: 1.

K 2

necessariam, si toties inculcantes unitatem in essentia, realitate, atque substantia divina, tacitam præterissent istam triplicitatem in entitate, essentiisque relativis valde conducente ad explicandum litem inter Magistrum Petrum, & Abbatem Joachimum.

LXXVIII. Hinc licet in Divinis sint tres relationes reales ratione unius simplicis realitatis, non tamen sunt tres ratione triplicis realitatis: sicut sunt tres personæ divinæ ratione uniusfolius divinitatis non ratione trinæ; ergò sicut ex eo, quod sint tres personæ divinæ non sequitur personas addere divinitatem ultra essentiam, ita ex eo quod sint tres relationes reales, non sequitur esse tres realitates. Sunt quidem tres, & est de Fide ternarius numerus; sed ternarius in ratione personalitatis, sive relationis; secus in ratione entitatis, essentiæ, aut perfectionis; nam licet relatio, & personalitas sit formalissimè entitas, distinguitur tamen virtualiter ab hac, undè datur locus, ut illis multiplicatis, non multiplicetur hæc. Unaquæquè persona addit aliquid supra essentiam, scilicet substantiam, seu personalitatem, seu complementum substantiale, cæterasque notiones, & características proprietates; sed hoc aliquid imprimis non est additum realiter, sed merè virtualiter: Deindè non est aliquid aliquitate distincta ab aliquitate essentiæ; sed aliquitate ipsa formalissima essentiæ, sicut hoc aliquid est etiam intimè, ac essentialiter DEUS, non Deitate distincta, sed formalissima ipsa Deitate essentiæ.

LXXIX. Quorum ratio semper, & ubilibet inculcanda est: non aliam multiplicatam admittimus, nisi quam ex scripturis docemur ab Ecclesia, hoc quippe Mysterium non est regulandum per metaphysicas rationes, quia omnes illas prætervolat. At solum docemur Trinitatem in substantia, personalitate, complemento substantiali, relatione, hypostasi, cæterisque karakteristikis proprietatibus; secus in entitate, realitate, essentia, & substantia; quin immo docemur unitatem in his à prædicto Concilio, cui discrimini dat locum distinctio virtualis inter illa priora, & hæc posteriora; ergo inter utraque est disparitas, quidquid sit de paritate, quam

quam intellectus noster sibi soli relictus comminiscitur.

CAPUT VII.

Objectiones.

LXXX. **I**nstat ibi num. 12. prædictus Doctor Complutensis. Tres divinæ relationes præcisè ut tres non dicunt divinitatem, cumquè præcisè ut tres multiplicentur, idèd ea ratione, qua multiplicatur non dicunt divinitatem; ergo necesse non est, quod hæc multiplicetur. Cæterum præcisè ut tres dicunt entitatem, & aliquid, quia præcisè ut tres non sunt phantasmata; sed præcisè ut tres multiplicantur; ergò ea ratione qua multiplicantur dicunt entitatem; ergo hæc multiplicatur. Confirmatur 1.º Illud adjectivum *tria* super aliquid substantivum cadit, sed quodcumque assignetur illud debet esse ens verum, & reale, nisi dicere malimus illud esse nihil, aut chimæram; ergo sunt tria entia. 2.º Ratio entis transcendit omne verum, & reale, secus vero ratio Deitatis, vel Omnipotentia; ergo eo ipso, quod in Divinis detur numerus ternarius verus, & realis, dantur tria entia, seu tres res licet non tres Dii, nec tres Omnipotentes. 3.º Rationes formales distinguendi divinas personas non debent habere eandem essentiam, ac entitatem; nam sic potius erunt rationes conveniendi: At divinæ relationes sunt rationes formales distinguendi personas divinas; ergò nequeunt habere eandem penitus entitatem, atquè essentiam; ergo divinæ relationes ultra essentiam communem habent suam peculiarem entitatem, sive essentiam relativam. Demum quia Cyrillus Alex: 1. Thesauri cap. 6. Loquens de Patre ait. *Perfectus est non solum quia DEUS, sed etiam quia Pater*; Et Nazianz: or: 3, inquit de Paternitate. *Est gloriæ auctio, non diminutio, quemadmodum Spiritus productorem esse.* Et 6.ª Synodus act: 18. agnoscit perfectionem in Divinis subsistentiis contraposis unitati; ergo subsistentiæ, ac relationes important perfectionem, ultra perfectionem essentia.

LXXXI. Gravia sunt hæc, sed retorquentur facillè; Eisdem namquè terminis, & eadem forma arguendi pro-

bant multiplicatam Rei, essentia, atquè substantia contra Concilium Lateranum hæc prædicata non minus transcendunt ultimas differentias, quam Ens. Igitur ad instantiam Respondetur, si illa præcisio sit omnimoda, & totalis, relationes nihil sunt; sicut quævis res præcisæ à sua essentia. Ergò non dicunt entitatem, nec multiplicatam si solum sit, ut esse debet, distinctio virtualis ab essentia, & divinitate, cum hæc distinctio sit identitas realissima illarum cum hac, idèd ut præcisæ à Divinitate intimè important divinitatem ipsam, & tamen non multiplicatur hæc, licet illæ, ut eo modo præcisæ multiplicentur, scilicet quia distinctio virtualis illarum ab hac dat locum huic apparenti contradictioni; ergo licet, ut præcisæ in hoc sensu important etiam entitatem, non multiplicatur entitas illis multiplicatis; nempe ob eandem rationem distinctio virtualis illarum ab entitate. Quod si dixeris, quæ sunt eadem profus res non distinguuntur realiter; sed relationes divinæ sunt per nos eadem profus res; ergo. Distinguo majorem non distinguuntur realiter quoad entitatem, essentiam, atquè substantiam concedo, quoad illud quod virtualiter distinguitur ab entitate, essentia, atquè substantia, nego. Undè solum habebis consequentiam Catholicam, nempe divinas relationes non distingui invicem in essentia, & substantia; distingui vero in Paternitate, Filiatione, & Spiratione; nam hæc distinguuntur virtualiter ab essentia; Et etiam habebis Paternitatem non esse rem distinctam realiter à Filiatione, & virtualiter ab essentia; sed esse relationem utrovis modo distinctam: quia solum debemus concedere distinctionem quoad hæc. *Relatio. Subsistentia. Hypostasis. Proprietas, personalis notio, Origo, Processio*; sed non quoad hæc *Essentia, Res, Entitas, Substantia*, cujus ratio à posteriori est, quia licet in creatis nequè distinctio, neque distinctionis æquivalentia detur inter una, & altera; ex principiis tamen Fidei novimus in Divinis dari inter una, & altera speciem illam identitatis realis, quæ simul est distinctio virtualis. Undè datur locus, ut illis multiplicatis, hæc, seu potius hoc non multiplicetur.

LXXXII.

LXXXII. Ratio autem à priori est, quia hæc est natura hujus Mysterii, & hanc esse naturam nobis constat ex testimoniis Patrum, & Concilii jam datis: quamobrem si objiciatur propositio cum aliquo ex signis numeralibus *Omnis, nullus, Aliquis*, immediatè appellante supra aliquem ex his ultimis conceptibus, respondetur idem quod his *omnis DEUS, nullus DEUS, aliquis DEUS*. Scilicet negando suppositum. Jam ad primam confirmationem instantiæ nego consequentiam; aliud est, quod substantivum illud sit ens verum, & reale, entitate distincta ab entitate divinæ essentia, & distincta realiter ab entitate alius divinæ relationis. Aliud, esse ens verum, & reale entitate ipsa formali divinæ essentia. Si primum esset verum, consequentia foret legitima, sed est falsum. 2.^{um} Est verum, sed non sufficit rectitudini illius consequentiæ, ut patet. Ad 2.^{am} Respond. vel loqueris de transcendentia reali vel de logica, & purè formali. Si primum non minus transcendent realiter divinas relationes, Deitas, & Omnipotentia, quam prædicatum entis; quia Pater v. g. tam intimè est in sensu reali secundum omnia sua prædicata Deus, & Omnipotens, quam ens; ergo si non obstante illa reali transcendentia non sunt tres Deitates adhuc relativæ, nec tres Omnipotentia, ita neque tres entitates relativæ non obstante ista transcendentia Entis. Si 2.^{um} cum transcendentia ista non sit mutua, quandoquidem ens in suo conceptu formali non imbibit ternarium numerum divinarum relationum, idcirco ex eo, quod illæ verè, & realiter sint tres, non infertur esse tria entia. Transcendit quoque ratione nostra ens omnes suas species; & tamen non est ratione nostra multiplex, nempe quia non transcenditur ab ipsis. Ad 3.^{am} Dist. Ma: non debent habere eandem omnino essentiam, ac entitatem per identitatem realem, & virtuaalem cum illa concedo: Per identitatem, quæ simul sit distinctio virtualis ab illa essentia, & entitate nego majorem, quia sic possunt convenire in essentia, & entitate, sed disconvenire in Paternitate, & Filiatione, &c. Quemadmodum licet differentia entis sub quolibet suo conceptu imbibant ens reale; tamen sub propriis conceptibus

K 3

sunt rationes disconveniendi non in ente, sed in talitate entis; nempe quia neutra transcendentia est reciproca; Et similiter explicatis cæteris nego consequentiam.

LXXXIII. Ad quartam Respondetur. Quemadmodum rationale importat perfectionem in homine ultra animalitatem, non quia perfectio rationalitatis sit distincta adhuc virtualiter ab animalitate; sed quia hic conceptus *rationale* detegit amplius perfectionem animalitatis humanæ; sic Paternitas, aliæquæ divinæ relationes, ac substantiæ dicunt perfectionem ultra essentiam, non quia dentur tres entitati perfectiones invicem distinctæ realiter, & ab essentia solum virtualiter; sed quia non modò hic conceptus *DEUS*, sed etiam hic *DEUS Pater* detegit perfectionem & hic secundus magis aperit, seu pandit perfectionem illius; neque opponas Sabellium, quia hujus hæresis non erat Patrem Filium, & Spiritum sanctum esse unam solam rem (cum veritas hæc sit definita in illo Concilio Magno Lateranensi) sed esse unam solam personam sub distinctis vocabulis, & hoc non sequitur ex nostra doctrina, quoniam reverentes veram, & realem Trinitatem atque distinctionem personarum, negamus cum eo Concilio Trinitatem rerum, entitatum, essentiarum, substantiarumque.

LXXXIV. Denique quando objiciatur argumentum ex nostris conceptibus formalibus derivatum, seu ex eo, quod per se apparet in ipsis terminis; discernam inter illud, quod objectum est in se ipso, & inter species, quibus & per quas apprehendimus illud: Apprehendimus Angelum specie juvenis, & per hanc nobis apparet; At in se ipso non est juvenis. Apprehendimus Patrem æternum per speciem senis, animam ipsam formalem nostram per speciem auræ tenuis, vel Puellæ, vel Flammulæ fulgurantis, & tamen nec Pater æternus est in se ipso senex, nec anima nostra Flammula, aut Puella: sic tres relationes, seu hypostases, seu personalitates Divinæ apparent, & apprehenduntur à nobis per species trium entitatum, & hoc videtur ex ipsis terminis; sed hinc non infertur, esse in se ipsis tres res, seu entitates realiter distinctas inter

inter se, & virtualiter ab essentia; Et hoc solum est, quod negamus.

LXXXV. Ob: 2.^o Nihil magis intimum rei, quam suamet essentia, suamet entitas; ergo prorsus repugnat rem distingui virtualiter à sua essentia, & entitate. Ergo si relationes Divinæ, actusque contingentes intellectus, & Voluntatis non habent aliam essentiam, quam essentiam ipsam communem tribus personis, & ab hac distinguuntur virtualiter, sequitur illa omnia esse Chimærica. Confirmatur primo. Omne virtualiter distinctum ab alio est ratione nostra præcindibile ab illo: nam si possunt suscipere ex parte rerum contradictoria absoluta, vel conditionata; multò melius præcindi mentaliter unum ab alio: Ergo quod non est mentaliter præcindibile ab alio, non distinguitur virtualiter ab illo: sed nulla res est mentaliter præcindibilis à suamet essentia: ergò non distinguitur virtualiter à suamet essentia. 2.^o Ut duo distinguantur virtualiter, necesse est assignare aliquem conceptum, sub quo appareant ut duo, ita ut dicere possimus: hoc non est virtualiter illud; ergò si nullus est conceptus, nulla expressio, nulla vox, sub qua relationes Divinæ non claudant intimè Divinam essentiam, & entitatem (quia per nos non habent aliam essentiam, seu entitatem, nisi essentiam divinam) sub nullo conceptu possumus de ipsis enunciare distingui virtualiter à Divina essentia; ergo Paternitas v.g. sub hoc conceptu non distinguitur virtualiter ab essentia; quantumcumque enim præcindas, seu attenues hunc conceptum, semper, & ubi bis occurret ibi Divina essentia. 3.^o Productio activa divinarum personarum, item libertas divinæ voluntatis, vel exercentur solâ, & nudâ essentiâ necessariâ DEI, vel aliquo alio. Primum aperte est falsum, quia essentia nec producit, nec producitur, neque est libera DEO. Si 2.^{um}; ergo jam datur aliquid aliud ultra essentiam necessariam; ergò relationes, & actus contingentes habent aliquitatem, seu entitatem ultra essentiam communem tribus personis. Similiter quoddam est illud divinum, quod immediatè fuit unitum naturæ humanæ; non essentia ipsâ communis tri-

bus personis, aliàs tota Trinitas incarnasset; ergo ultra hanc essentiam oportet assignare aliquam realitatem, aliquam entitatem, aliquid verum, & reale, quod fuerit unitum immediatè humanitati; Et hoc est hypostasis, seu Personalitas Verbi. Deniquè si numerus ternarius relationum non opponitur unitati DEI, eo quod distinguantur virtualiter ab essentia, cur numerus ternarius entitatum pariter identificatarum cum eadem essentia Divina, pariterque distinctarum, non benè cohærebit cum summa unicitate DEI?

LXXXVI. Hæ, ac similes voces, quas Aristotelica Metaphysica edit, non tam impugnant sententiam nostram, quàm Mysterium ipsum, & oriundæ sunt ex apprehensionibus, quibus imbui solemus à Lumine Philosophiæ; nempe non agnoscere ullam vel distinctionem, vel distinctionis æquivalentiam inter rem, & suamet essentiam, entitatem, seu substantiam; sed adventante Theologicâ Doctrinâ procul, ò, procul este prophanæ Philosophiæ, & severius cum sancto Leone Serm: 7. de Nativitate: *Abigatur procul terrenarum caligo rationum, & ab illuminatæ Fidei oculo mundanæ sapientiæ fumus abscedat. Divina est enim auctoritas, cui credimus, divina est doctrina, quam sequimur;* nempe dictum Lateranense Concilium; non quòd putemus huic adversari multos illos, & graves Theologos, qui defendunt sententiam nostræ contrariam; sed quia probabiliter judicamus sententiam nostram esse eandem, quam numerosum illud Concilium docuit. Imprimis argumenta ista ab omnibus solvenda sunt: Cum enim essentia Divina non sit essentia quædam Platonica, ut sæpè adverti, id est essentia, sed nullius personæ: necesse est fateri, quod illa est essentia, & entitas, & realitas ipsarum divinarum relationum, licet ultra illam affigatis eis istam aliam entitatem & perfectionem, & existentiam, quàm vocatis relativam; ergo cum ex alia parte addatis divinas relationes distingui virtualiter aut formaliter ab essentia ipsâ Divina, ecce jam divinas relationes alterutro modo distinctas à suamet entitate, & essentia; ergo debetis solvere argumenta ista, Ita que nego con-

consequentiam objectionis; nam cum omnia, quæ realiter identificantur cum re sint in sensu reali de essentia illius rei, & æquè intima ipsi, tam repugnaret rem distingui virtualiter à sua essentia, quàm à quovis alio secum realiter identificato, siquidem hoc aliud est realiter essentia illius rei, & tamen passim ponitur etiam in creatis (quo jure, Deus scit) distinctio virtualis inter prædicata creata realiter identificata; ergo. Ratio autem est, quàm supra dedi. Distinctio virtualis non est distinctio, sicut nec Vicarius est Episcopus; sed summa & totalis identitas æquivalens distinctio; non in ordine ad omnia, sed talia, vel talia, quæ aliudè consent. Ergo summae intimitati rei cum suamet essentia, ac entitate, non repugnat distingui virtualiter ab ea.

LXXXVII. Ad primam confirmationem nego majorem cum sua probatione; nihil enim relatum, ut relatum ad aliud, est mentaliter præscindibile ab illo alio v.g. Pater, ut Pater est mentaliter impræscindibilis à Filio. Item connexum ut connexum, oppositum ut oppositum sunt mentaliter impræscindibilia à terminis connexionis, ac oppositionis; & tamen omne relatum, ut relatum ad aliud, est distinctum ab illo alio; ergo coherent distinctio, ac mentalis impræscindibilitas duorum. Ratio est. Rem esse mentaliter præscindibilem ab alio stat formaliter immediate in eo, quod sub aliqua expressione propria ipsius, ita nobis appareat, ut non appareat illud aliud, vel saltem res non appareat identificata cum illo alio. Sic Animal est mentaliter præscindibile à rationali, quia ex vi hujus solius expressionis *Animal*, quæ est propria animalitatis, nequè obversatur rationale sub hac propria sua expressione, nequè identitas amborum. Sed stat bene, quod res sub omni propria sua expressione appareat nobis identificata cum alio, & simul virtualiter distincta ab illo. Sicut stat, quod ex parte rerum sit identificata cum illo & ex parte etiam rerum distinguatur virtualiter ab illo; ergo stat rem esse mentaliter impræscindibilem ab alio, & simul distingui virtualiter ab illo; ergo non omne, &c. Potest etiam distingui Ma: Est præscindibile, quatenus ali-

quid possit de ipso affirmari, quod negetur de alio concedo, quatenus possit cognosci, quin cognoscatur esse identificatum cum illo alio, nego. Ad 2.^m dist: antecedens: sub quo appareant, ut duo in ea ratione, in qua distinguuntur virtualiter concedo: ut duo, in ea ratione, in qua non sic distinguuntur nego. Cumque relationes atque essentia non distinguantur virtualiter in ratione entitatis existentiae seu perfectionis, ut hætenus dixi, sed quoad illa, quæ dixi multiplicari in Divinis; Idcirco necesse non est assignare conceptum, sub quo appareant ut duo *quoad entitatem, essentiam, &c.* Ergo licet sub omni proprio conceptu intimè transcendatur ab essentia, entitatèque divinis, adhuc subsistit, relationes, personalitates, hypostases, proprietates, notiones, & origines (hæc sunt, quæ multiplicantur) distingui, ut tales ab essentia, Entitate, &c.

LXXXVIII. Ad 3. respond. concedo secundum membrum, distinguoquè consequens; datur aliquid aliud alietate Relationis, Personalitatis, &c. concedo. Alietate entitatis, essentiae, aut perfectionis nego: Jam explicui relationes, ut ultraessentiam, id est ut virtualiter distinctas ab essentia, esse aliquid verum, & reale, & capax ex hac parte terminandi productionem, unionemque veram, & realem: Sed non sunt aliquid verum, & reale veritate, ac realitate distincta à veritate, ac realitate essentiae; sicut habent verè, & realiter Omnipotentiam, intellectum, & voluntatem; sed non Omnipotentiam, intellectum, & voluntatem distincta virtualiter ab Omnipotentia, intellectu, & voluntate ipsius essentiae; alias darentur in Divinis 4.^{or} intellectus, & 4.^{or} voluntates, unum absolutum, & tria relativa. Quocirca discerne inter hos terminos. *In Divinis nulla entitas, aut realitas producit, producitur, est Libera DEO, est immediate unita humanitati, & hos. In Divinis nihil producit, producitur est Liberum DEO, est immediate unicum humanitati.* Primum est verum, quia in Divinis non datur, nisi unica simplicissima res, entitas, realitas, substantia, essentia, ut contra Joachimum declaravit Concilium Lateranense in favorem Magistri Petri, quæ incapax est illarum denomination-

nationum. 2.^{um} Est falsum, quia cum detur distinctio virtualis inter entitatem Divinam & id, quod est hæc entitas, datur locus, ut entitas non subeat ullam ex istis denominationibus; illas tamen subeant, ea, quæ sunt illa entitas, scilicet Divinæ relationes; ergo licet entitas Divina non fuerit immediatè unita humanitati (idem dico respectivè de istis aliis) aliquid tamen Divinum, quod est illa entitas, videlicet Personalitas verbi, fuit immediatè unitum Humanitati. Capietis sine dubio ab adversariis, nisi accuratè distinguas inter utrosque terminos dictos, quia illos facilimè confundunt, ut synonymos. Ad 4. respondeo: Ea opponuntur, vel non opponuntur unicitati DEI, quæ docemur ab Ecclesia; sed ab hac docemur numerum ternarium Relationum non opponi; opponi verò numerum ternarium rerum, ut constat ex ea definitione Lateranensi jam data. Ergo.

LXXXIX. Ex dictis inferitur 1. duas maximas esse difficultates in hoc negotio. Una fundatur in apprehensione, quia videmur non posse apprehendere tres relationes reales, quin apprehendamus tres realitates, sive entitates. Ast apprehensiones non curo: quidquid de illis sit, ex parte rerum rem disputo, & in hoc sensu procedit Conclusio. Hinc velint, nolint ad hunc sensum trahendi sunt adversarii, ubi similiter poterant dicere non posse apprehendi tria divina, quin apprehendantur tres divinitates. Pro apprehensione verò castiganda sufficiunt exempla illa, quibus ostendimus non semper rem esse in se ipsa prout à nobis apprehenditur v. g. Juventus Angelorum; senium Patris æterni, &c. Altera est impræscindibilitas rei à suamet essentia; nam ubicumquè appareat res ibidem insonat sua essentia. Concedimus hoc, si procedat de identitate reali, & etiam ratione nostra cujusvis rei cum sua essentia; sed negamus, si procedat de omni prorsus specie identitatis id est realis, & virtualis, quasi nequeamus quidquam affirmare, aut negare de re, quod pariter non affirmemus, aut negemus de essentia illius: nam ex hoc Mysterio didicimus non semper identificari rem virtualiter etiam cum sua essentia; sicut vos ipsi dicitis non semper iden-

tificari virtualiter cum eo, quocumque identificatur realiter, cum tamen hoc revera sit essentia illius; omne namquæ, cum quo res identificantur realiter, est realiter essentia ipsarum; Et totum hoc explicandum est philosophiâ satis communi docente transcendentiam Entis realis, qua data differentia, sub nullo prorsus conceptu præscindibiles sunt ab Ente, & tamen dividunt & distinguunt species, quas ens univocat, ut exposui in Logica Maggiore.

XC. Inferitur 2.^o nec essentia includit Relationes nequè hæc illam. 1. Si inclusione intelligas metaphysicam constitutionem, similem ei, qua definitio dicitur includere genus, & differentiam, quia neque essentia definitur per relationes, ut tales, nequè hæc præcisè ut tales per illam; ergo nequè illa includitur in his, nequè hæc in illa instar generis, aut differentiæ. Et hoc intendit S. Thomas, quando scripsit. *Alia est ratio essentia, & Relationis.* Cum enim ratio, & definitio sint idem, meritò dicitur alia, & alia ratio, ubi est alia, & alia definitio. 2.^o Si inclusione intelligas transcendentiam formalem similem ei, qua genera dicuntur transcendere suas species, quia hæc transcendentia consistit in eo, quod intellectus terminorum mediocriter peritus ex vi præcisè hujus expressio- nis: *Homo*, possit illico proferre hanc sententiam. *Iste est animal.* At neque ex vi præcisè hujus expressio- nis *DEUS* potest intellectus proferre hanc sententiam, *Iste est Pater, est Filius, &c.* nequè ex vi præcisè expressio- nis Relationum, ut purè talium, potest proferre hanc: *est DEUS*, siquidem illæ relationes præcisè ut tales abstrahunt à Divinis, & Creatis; ergo. 3.^o Si inclusione intelligas identitatem realem, & virtualem, seu impotentiam, ut unum assumatur pro subjecto, aut prædicato, quin assumatur alterum. Quoniam supra ostendi essentiam, & relationes distingui mutuò virtualiter; ergo neque illa est subjectum, aut prædicatum, quoties hæc sunt, nequè è converso. Repete hic propositiones supra datas, in quibus hoc contingit. Et hoc duntaxat probant rationes, quas agglomerant aliqui, probaturi essentiam non includi in relationibus, seu non transcendere illas v. g. Relationes esse ali-

aliquid ultra essentiam, alias personæ Divinæ non personalitatibus ipsis, sed ipsis personis distinguerentur contra Concilium Lateranense; ergo non omnia, quæ sunt in relationibus, intimè claudunt essentiam; siquidem ultra omne non datur aliquid.

XCI. Solvitur inquam, quia sicut substantia differt perfectitate ab accidente, licet tota perfectitas intimè transcendatur ab ente (ut probavi in Logica Majore) quod commune est substantiæ, & accidenti. Ità Pater paternitate distinguitur à Filio, licet tota Paternitas intimè transcendatur ab essentia, quæ communis est Filio; Et ratio est: Licet Paternitas in omnibus penitus formalitatibus suis imbibat essentiam Divinam communem Filio, tamen hæc inclusio, transcendentia, seu identitas non est realis, & virtualis, sed tantum realis; ergo datur locus, ut Patrem discernat à Filio, quamvis hæc discretio non conveniat essentiæ: Et quamquam ex parte rerum idem includat Paternitas, quod Pater, nihilominus Paternitate dicitur Pater differre à Filio; sicut quamquam ex parte rerum idem profus sit homo, & rationale, nihilominus homo *rationali* potius, quam *homine* differre dicitur à Bruto; nempe quia rationale utpotè clarius exprimens distinctionem, est medium, quo utimur ad probandum distinctionem hominis à Bruto. Idem in præsentî. Hic terminus *Paternitas* est medium, quo utimur ad cognoscendum, & probandum Patrem distingui à Filio quia clarius exprimit eam distinctionem. Caterum si inclusione intelligas rem similem ei, qua genus dicitur includere species atque ut hæc dicuntur includere individua: Essentia quidem includit relationes, non è converso; quoniam licet essentia non multiplicetur in Relationibus, & hæc de causa nequè genus, nequè species sit respectu illarum præcisè loquendo, verumtamen ita convenit Paternitati v.g. ut aliis etiam conveniat, quibus repugnat Paternitas; ergo latius patet unaquæque relatione; ergo in hoc sensu includit illas licet non è converso.

XCII. Absolutè tamen dicendum, quod Relationes includunt essentiam, & hæc non includit illas; quia præse,

R. P. de Ulloa, Theol. Tom. 1.

ac castigatè loquendo toties unum includit intrà se aliud, & non è converso, quoties ubicumquè reperitur unum, reperitur aliud, & non viceversa: At ubicumquè reperitur Paternitas v.g. ibidem reperitur divina essentia; nam omnes profus formalitates Paternitatis sunt Deus, & non viceversa, quoniam Deus est per identitatem realem immediatam in Filio, & ibi non est, Paternitas per immediatam identitatem; ergo præse, ac castigatè loquendo Paternitas includit essentiam, & non è converso. Nequè prodest dicere cum Godoi, & suo Discipulo Goneto, essentiam includere relationes non quidem ut constitutiva, sed ut modos essentialis. Etenim ubi fuerit includens, ibidem debet esse inclusum sive instar constitutivi, sive instar modi essentialis; sic ubicumquè fuerit homo, ibi est non solum materia, & forma, sed etiam ambarum unio, quæ solet dici modus essentialis physicus. Item ibidem est identitas Animalis, & rationalis, quæ solet dici modus essentialis vel Logicus, vel Metaphysicus: At in Filio est divina essentia; ergo si hæc includit Paternitatem sive instar constitutivi, sive instar modi essentialis, ibidem etiam erit per identitatem immediatam, & non solum per circuminseccionem, Paternitas. Sin verò modus essentialis sonet tibi objectum existens extrà essentiam illius, cuius est modus essentialis, antra charybdis adis, dum vis evadere scyllam: Quoniam est implicatio in terminis, dicere essentiam divinam includere Relationes per modum rei existentis extrà ipsam, & tandem conceditis quod intendimus, videlicet Relationes divinas esse extrà essentiam.

XCIII. Nequè te moveat fore, ut in Deo daretur compositio, quia sicut summæ puritati, & simplicitati Divinæ duntaxat repugnat distinctio actualis inter essentiam, & Relationes, non verò æquivalentia, seu virtualitas distinctionis quoad aliqua, quia hæc non est distinctio, nequè æquivalentia imperfectionis, quia non est æquivalentia distinctionis quoad divisionem in Essentia, in quo staret imperfectio; sed quoad susceptionem prædicatorum, quæ sunt, vel essent contradictoria, in qua susceptione

L

tione

tionem non est imperfectio. Itā solum repugnat, eidem simplicitati compositio actualis, non autem virtualis, id est summa simplicitas, quæ compositioni æquivaleret non quoad omnia sed solum quoad non inclusionem Relationum in essentia, cui non inclusioni nulla inest imperfectio.

CAPUT VIII.

De Processione secunda Persona.

XCIV. **P**rocessio Primæ nulla est. 3.^a Verò coincidit quoad duas præsentis difficultates cum Processione secunda, & hæc de causa de Processione 2.^a singillatim agemus. Duæ sunt difficultates. 1.^a Ex qua cognitione procedat Verbum Divinum. 2.^a Cur hoc potius, quam Spiritus sanctus sit Filius. Resp. ad primam. Si loquamur in sensu Logico & mentaliter præcisivo, procedit ex sola cognitione objecti illius, quod præcisivo significaverit v.g. Verbum prout Patris; procedit ex sola cognitione Patris. Verbum prout necessarium, ex sola cognitione veritatum necessariorum. Verbum prout contingentium ex sola cognitione veritatum contingentium. Nam sicut homo, præcisè ut animal, præcisè est vivens sensibile, licet à parte rei multa alia habeat prædicata; Itā Verbum præcisè ut Patris v.g. præcisè supponit hanc cognitionem (de ratione quippè omnis Verbi, ac locutionis prudentis est præsupponere cognitionem illius, cuius est locutio mentalis, seu Verbum) At eatenus procedit ex cognitione, quatenus eam præsupponit; ergo si ut tale præcisè supponit unam cognitionem, & ut talem præcisè supponit alteram, fiet, quod ut tale præcisè procedat ex una cognitione, & ut tale præcisè procedat ex altera.

XCIV. Caterum si loquamur in sensu reali, & objectivo Verbum Divinum per se habet procedere ex omni profus cognitione divinā, nullā exceptā; sed æquivocè; nam *per se absolute* habet procedere ex omni cognitione divina necessaria, & *per se conditionate* ex omni contingente, nimirum sub conditione, quod ea detur in Deo. Probat. Verbum Divinum in sensu reali procedit ex cognitione illorum, quorum in sensu

reali est expressio, seu locutio. At in sensu reali est *per se absolute* expressio, seu locutio omnium, quæ Deus necessariò cognoscit, sive illa sint entitativè Divina, ut essentia, relationes, attributæque omnia, sive sint adæquatè distincta à Deo, ut intrinseca rerum possibilitas; & *per se conditionate* eorum, quæ Deus contingenter cognoscit, ut sunt actus liberi ipsius Dei, & Creaturæ, sive absolute, sive conditionate existentes; Ergo in sensu reali Verbum Divinum procedit ex omni cognitione divina; ex necessariis quidem *per se absolute*, ex contingentibus autem *per se conditionate*, quatenus per se solum habet procedere ex illis, casu quo existant, & præcindit ab hoc casu. Major est certa. Repugnat quippe Verbum Divinum esse expressionem, seu locutionem mentalem eorum, quorum cognitionem non supponit, aliàs Pater loqueretur per Verbum, id, quod non præcognoscit, obnoxiusque foret ei exprobatum. *Nescis, quid dicas.* At Verbum procedere ex aliqua cognitione stat unice in eo, quod illam præsupponat: ergo si præsupponit cognitionem eorum omnium, quorum est locutio mentalis, procedit ex cognitione eorum omnium.

XCVI. Min. etiam patet. Quoniam verbum est expressivum eorum omnium, quæ Pater loquitur per Verbum ipsum Divinum, quæque in Verbo ipso sunt cognoscibilia: sed Pater, cum nequè adæquatè, nequè inadæquatè sit mutus, loquitur omnia omnino, quæ cognoscit (& quidem non per Verbum creatum) necessariò quidem absolute ea, quæ necessariò absolute cognoscit; necessariò autem conditionate ea, quæ necessariò cognoscit sub hypothese, quod sint cognoscibilia. Quia infinita vis locutiva Patris ipsum determinat, ut nihil reticeat eorum, quæ cognoscit, sicut infinita perspicacia mentis Divinæ ipsam determinat, ut nihil ignoret eorum, quæ cognoscibilia sunt. Deinde nullum est objectum excogitabile, quod non sit cognoscibile in Verbo eo modo, quo verè cognoscibile fuerit, aliàs Verbum divinum esset adæquatè, vel inadæquatè mutum, quandoquidem non esset locutio eorum omnium, quæ Deus scit: Ergo verbum Divinum in sensu reali

reali est per se absolute locutio mentalis omnium necessariorum, & per se conditionate omnium contingentium.

XCVII. Unde primo: cum dictio, & locutio sit productio Verbi, atque in Divinis solus Pater Verbum producat, quia hoc neque est Filius sui ipsius, neque Spiritus sancti; sed solius Patris, inde est, quod in Divinis solus Pater dicit, seu loquitur ad intra, quamvis locutiones in creaturis, utpote opera ad extra, sint communes toti Trinitati: Item licet cognitio verbo precedens communis etiam sit. Quia licet cognoscere, & loqui mentaliter sint in creaturis idem realiter, & virtualiter; sed non in divinis, quia ibi distinguuntur virtualiter, eo quod *cognoscere* est commune tribus personis, *loqui* autem, seu producere Verbum, est characteristicum Patris, unde datur capacitas, ut alia duæ personæ *cognoscant*, quin *dicant*, aut *loquantur ad intra*, id est quin producant Verbum. Quod si inferas, fore personas mutas: distinguam, ad intra concedo, quia fide constat illas duas non producere Verbum æternum; ad extra nego.

XCVIII. Unde 2.º sicut in Deo non distinguimus virtualiter geminum intellectum: unum cognoscitivum necessariorum, alterum contingentium, nempe quia idem intellectus Divinus realiter, & virtualiter simplex, est per se ab intrinseco determinatus, absolute quidem ad actualem cognitionem veritatum necessariorum; conditionate vero ad actualem cognitionem contingentium, ita ut determinatio actu cognoscentis constituatur per intellectum, & cognitionem; Unde patet locus, ut detur intellectus divinus, etiam si actu non cognoscat objectum A existere, eo quia illud non existit. Similiter non distingue virtualiter duplex Verbum divinum, quidquid sit de imperfectis nostris præcisionibus, & reduplicationibus: unum expressivum necessariorum; alterum contingentium; sed idem prorsus verbum divinum realiter, & virtualiter indivisibile, est per se intrinsece determinatum absolute quidem, ut sit expressio, seu locutio mentalis omnium prorsus necessariorum; Conditionate vero omnium contingentium; nempe sub conditione quod tali aut tali modo

cognoscantur à DEO. Constituitur quippe denominatio actualis locutionis per ipsam etiam locutionem Divinam sicut denominatio actu cognoscentis. Cumque Verbum Divinum utpote entitative necessarium distinguatur virtualiter ab ea cognitione utpote contingente, idcirco datur locus, ut existat Verbum divinum, licet neque actu procedat ex cognitione objecti A, neque ipse sit locutio, eo quod illud non sit in rebus. Eodem prorsus modo discurrendum est de Spiritu sancto, nempe procedere ex omni prorsus amore, qui est in DEO, sed æquivocè.

XCIX. Trifariam invadunt adversarii hanc conclusionem. Primo, Verbum non procedere ex cognitione contingentium; 2.º non procedere ex cognitione totius Trinitatis. 3.º Admittendam esse distinctionem virtuales inter Verbum necessariorum, & Verbum contingentium. Ad 1.ºm R. nihil entitative necessarium potest præsupponere absolute quidpiam contingens, ut tale; nam cum fundamentum connexionis metaphysicæ absolute deficiat deficiente termino, sequeretur, aut contingens esse necessarium, aut è contra. At vero entitative necessarium potest intimè connecti conditionate cum contingente, nempe cum tali, vel tali denominatione, ut habenda pro casu, quo illud contingens existat in rebus. Sic intellectus Divinus entitative necessarius intimè connectitur cum cognitione enunciante absolute existentiam alicujus creaturæ pro casu, quo hæc existat: sic Omnipotentia intimè connectitur cum suo influxu in quamlibet creaturam pro casu etiam, quo hæc existat. Hoc in præsentiarum. Cum Pater celare nequeat Filio quidquam ex eis, quæ scit, prorsus necessarium est, quod per quamcumque divinam cognitionem producatur Verbum, id est cuius Divinæ cognitioni respondeat locutio mentalis: Sed servatis servandis. Verbum hoc intimè absolute connectitur cum cognitione veritatum necessariorum; cum cognitione autem contingentium non nisi conditionate, scilicet pro casu, quo illa contingentia existant; ergo neque sequitur hæc evadere tam necessaria absolute, quam ipsum Verbum Divinum; neque hoc

hoc esse tam contingens, quam creaturas. Et aliàs sanè idem argumentum objicere poteris contra intellectum Divinum, & Omnipotentiam.

C. Idem dico de Spiritu sancto, cujus entitativa necessitas non destruitur, ex eo, quod per se essentialiter habeat procedere ex amoribus contingentibus sub hypothese, quod sint in DEO: Hoc solo discrimine, quod cum DEUS non possit non agnoscere creaturam existere eo ipso quod hæc existat; idcirco non potest Verbum non procedere ex cognitione creaturæ eo ipso, quod illa existat; Cæterum cum possit non amare creaturam, licet ea sit bona utcumque, eo quod nulla bonitas finita (utpote multis imperfectionibus corrupta saltem physice) necessitat divinam Voluntatem ad sui amorem; Idcirco fieri potest, quod Spiritus sanctus non procedat ex amore creaturæ, licet hæc sit bona: scilicet quia DEUS non vult amorem illum concipere. Hinc primò falsum est, quod Verbum Divinum existeret, & non existeret pro nostro arbitrio; nam licet sic existat noster actus liber, & consequenter Divina visio ipsius, ex qua dicimus Verbum procedere; attamen cum verbum non connectatur per se absolute cum hac visione, sicut neque infinita perspicacia intellectus Divini, idè subsisteret in rebus, licet ea visio Divina non daretur, sed contraria, ex qua tunc procederet. Quocirca supposito quod DEUS conservet in nobis ex mera sua voluntate libertatem indifferentiæ divinum Verbum pro nostro libito procedit ex hac, vel illa cognitione Divina, quatenus pro nostro libito existit hæc, vel illa cognitio divina; sed verbum non existit in rebus pro libito nostro.

C.I. Hinc secundò salvatur libertas Christi D. nam licet hujus operationibus Theandricis præcedat inevitabiliter unio hypostatica immediatè connexa cum Verbo Divino, cujus est unio physica; attamen cum Verbum non habeat per se absolute procedere ex cognitione illarum operationum; sed tantum per se conditionatè sub conditione, qua illa existant; Indè est, quod nequè Verbum, nequè hujus unio connectuntur per se absolute cum eis operationibus; Ergo

non probatur eas nasci à principio per se absolute connexo cum illis, tamen si procedant à principio connexo cum illis sub hypothese, quod existant, quæ connexionis species non officit libertati. Verum est, quod verbum, ut actualis absoluta locutio, & expressio earum operationum est absolute connexum cum illis, & verbum ut actu est in Christo D. est actualis absoluta locutio earum operationum, quas eliciturus erat Christus; Verumtamen unio hypostatica non connectitur absolute cum Verbo, ut actuali absoluta expressione illarum operationum, quia solum est unio verbi, ut actu est secundum ea tantum, quæ ipsi verbo sunt absolute necessaria. At licet ut actu est, sit absoluta locutio illarum operationum, non est ipsi absolute essentialis, esse actualem locutionem illarum, quia eatenus est locutio illarum, quatenus procedit ex illarum cognitione; Et, jam dixi non procedere per se absolute, sed tantum conditionatè ex cognitione illarum; ergo non habes unionem physicam hypostaticam præcedentem eis operationibus, inevitabilè quæ à Christi humanitate, esse immediatè, aut mediatè connexam absolute cum illis.

C.II. Demum salvatur libertas in duabus Divinis Personis Filii, & Spiritus sancti, quoniam licet hujus personalitas præsupponat sive essentialiter absolute, sive contingenter omnem actum liberum divinæ Voluntatis, eo quia ex omni illo procedit; item licet personalitas verbi præsupponat similiter cognitionem divinam cujusvis actus Liberi DEO, eo quia ex omni ea procedit; Veruntamen cum libertas utriusquæ personæ non consistat in ipsis personalitatibus, sed formaliter in sola voluntate virtualiter distincta ab eis: cumque hæc voluntas utpote una, eademque in tribus Divinis personis, nequè essentialiter, nequè contingenter præsupponat actus liberos, aut eorum absolutam scientiam, idcirco neutrum præsupponitur ab eo, in quo stat formaliter libertas divinarum Personarum; licet alterutrum præsupponatur respectivè ab eo, in quo non stat formaliter Divina libertas. Quapropter sicut non solum anima, sed etiam ipse homo absolute est liber, quia licet libertas non competat materiæ pri-

mæ, competit tamen animæ, quæ homini est essentialis; ita unaquæquæ Divina persona est libera in decretis divinis, quia licet hæc libertas, utpotè attributum commune, non stet realiter, & virtualiter in ipsis personalitatibus; stantamen in Divina Voluntate quæ una, & indivisa est in omnibus, & singulis Personis Divinis.

CIII. Secunda classis continet argumenta, quibus multi probant Verbum Divinum, aut procedere ex sola cognitione Divinæ essentiæ, aut ex sola cognitione Patris, & consequenter non ex cognitione totius Trinitatis. Eam solves, si advertas primò: ex eo, quod Verbum procedat ex cognitione Spiritus sancti, non sequitur esse imaginem naturalem illius, quoniam imago naturalis sonat Filiationem; At licet Verbum procedat ex cognitione Spiritus sancti, nec non sui ipsius, tamen nec est Filius sui ipsius, nequè Spiritus sancti, quia licet procedat ex ea cognitione, non tamen producit physicè à se ipso, vel à Spiritu sancto; ergo licet procedat, &c. Nequè sequitur absurda ulla reciproca prioritas; sicut enim absquè absurdo finis, ut intentus, est prior mediis illum physicè causantibus, & consequenter est prior se ipso, ut actu existente; nempe quia totum hoc negotium consistit unice in eo, quod finis excitet suum desiderium, & hoc impellat hominem, ut ponat media, & hæc physicè exequantur existentiam ipsam finis, in qua causalitatum serie non latet ullus anguis, quia non est reciproca causalitas in genere physico, sed partim in physico, & partim in genere motivo. Ita licet Verbum procedat ex cognitione intuitiva sui ipsius, atquè Spiritus sancti, & hæc cognitio præsupponat utrumque, ut præsentem, ac existentem, tamen cum neutrum supponat in genere physico, sed objectivo tantum & motivo (in divinis quippe non dantur, nisi duæ solæ productiones physicæ, ut supra dictum est) idcirco nequè sequitur Verbum esse physicè prius se ipso, nequè Spiritum sanctum esse in signo physicè priore ad Verbum; sed duntaxat Verbum, ut cognitum, & Spiritum sanctum ut cognitum, id est utriusque cognitionem esse in signo priore ad Verbum. Ubi solum

L 3

deprehendes mutuam prioritatem in diverso genere, uno subjectivo, scilicet divinæ cognitionis ad Verbum: altero objectivo tantum, scilicet Verbi, & Spiritus sancti ad eam cognitionem, quod benè cohæret cum eo, quod Verbum producat physicè Spiritum sanctum, & non se ipsum.

CIV. Secundò tamen res contingens nequeat procedere ex visione absoluta sui ipsius, quia destrueretur libertas ad illam, redderetque imprudens Decretum divinum efficiendi illam, quas duas rationes urgebo infra; Et hac de causa non ideò res contingens sit, quia Deus videt illam esse: sed è converso, ideò videat illam esse quia est (nempe quia intuitiva cognitio rei contingentis non ponit, sed præsupponit rem) attamen cum in DEO non detur libertas, aut decretum contingens respectu Verbi quoad existentiam hujus necessariam, idcirco neutrum ex istis duobus absurdum sequitur ex eo, quod Verbum procedat ex Divina visione absoluta, & determinata sui ipsius, & consequenter nequè ex eo, quod tam verbum sit, quia cognoscitur à DEO, quam cognoscatur, quia est (licet hæc duæ causales habeant sensum diversum, ut nuper dicebam) Et demum nequè ex eo quod ea cognitio divina, & ponat & præsupponat Verbum in diverso sensu.

CV. 3.º Verum est, quod Verbum tantum procedit ex cognitione, quæ est in signo priori ad ipsum. Sed falsum, quod hæc cognitio solum repræsentet ea, quæ sunt in eo signo, & consequenter duntaxat repræsentet Paternitatem. Sicut enim cognitio, quæ est in hoc loco: potest sine falsitate exprimere ea, quæ non sunt in hoc loco; sed in anteriore, vel posteriore, scilicet quia non enunciat illa esse in hoc loco, sed in hoc loco enunciat illa esse vel Toleti, vel Constantinopoli; Ita cognitio, quæ est in signo priore ad Verbum sine falsitatis periculo potest enunciare illa, quæ non sunt in eo signo priore, sed in alio posteriore; nempe quia non enunciat illa esse in eo signo; sed in eo signo enunciat illa esse in aliis signis. Ergo potest enunciare Verbum ipsum, ac Spiritum sanctum, licet neuter sit in eo signo priore ad Verbum; Et

sic

fic solvitur argumentum validum Patris Alarcon. Similiter verum est, quod solum præcedit per se primò ad Verbum id quod per se primo est in signo priori ad Verbum. Sed falsum est, quod in eo signo solum sit per se primò terminatio essentia ad paternitatem, id est paternitas sola. Licet namque in eo signo non detur alia terminatio essentia ad aliam personam divinam, id est non detur alia persona Divina; tamen ultra Paternitatem datur per se primò in eo signo alius conceptus objectivus, nempe cognitio essentia, & Paternitatis & totius Trinitatis; quia ob nostram Cardinalem rationem datur in eo signo cognitio eorum omnium, quorum Verbum divinum est per se absolute expressio, seu locutio; alias foret locutio irrationalis. At per se absolute est locutio non solum terminationis essentia ad Paternitatem; sed totius etiam Trinitatis, alias vel non daretur Verbum Divinum expressivum Trinitatis, vel verba divina multiplicanda essent: ergo: Denique cum huiusmodi necessaria cognitio totius Trinitatis realiter & virtualiter identificetur cum essentia Divina, & hæc neque generet, neque generetur; ideo, quæ hæcenus dixi de prioritate illius, respectu Verbi, & de processione huius ab illa, non sunt intelligenda de illa in abstracto, & cum præcisione à Paternitate, sed de illa, ut in hoc concreto *Pater*; ita ut sola Paternitas sit principium reale productivum Filii, præfata vero cognitio reduplicative, ut in *Patre*, sit illud, ex quo verbum procedit.

§. *Secundus.*

CVI. 3.^a Classis continet argumenta illa speciosa; sed nobis non vera, quibus multi authores, præsertim P. Herrera conantur suadere Verbum Divinum esse virtualiter multiplex, & tot esse verba Divina invicem virtualiter distincta, quot sunt veritates à DEO cognoscibiles, ac inter se independentes. Undè distinguunt verbum, prout necessarium, à Verbo prout contingentium. Cæterum, quia distinctionem virtualem, tam acclivem intellectui nostro, nec in divinis admittere debemus, nisi ubi ratio Theologica profus convincat; & quia ex opposita sententia sequitur esse infinita Verba Divina virtualiter distin-

cta cum sint infinitæ veritates mutuò inconnexæ, cognoscibiles à DEO, propterea sicut non distinguiimus virtualiter Patrem prout generativum verbi necessarium à Patre prout generativo verbi contingentium; sed unicum Patrem unicitate etiam virtuali cognoscimus, ita unicum verbum, & unicum Spiritum sanctum, unicitate virtuali.

CVII. Objectiones repelles si ad veritas primò. Illæ reduplicaciones solemnes adversariis v. g. Verbum, ut Trinitatis, ut necessarium, ut contingentium, & similes, geminum habere possunt sensum; unum Logicum mentaliter præcisivum, alludentemque ad nostrum inadæquatum modum cognoscendi res. Alterum objectivum, & realem significantem Verbum ipsum divinum prout in se ipso est à parte rerum. In primo sensu jam dixi initio huius capituli verbum prout necessarium non esse Verbum prout contingentium; sicut homo prout Animal non est homo prout rationalis: ex vi namque huius solius expressionis *Verbum prout necessarium* nequimus dicere illud esse verbum, seu locutionem veritatum contingentium, & ex vi præcisæ huius expressionis *Verbum prout expressivum Roma*, nequimus asserere esse expressivum Londini. Hoc est verum; non tamen probat in Verbo ipso Divino esse multiplicatam ullam virtualem, sed possibile esse in nobis infinitas cognitiones inadæquatas, & præcisivas, quibus, instar multiplicis, agnoscamus rem profus simplicem, quod non nego. In 2.^o sensu est falsum, quod Verbum prout necessarium non sit Verbum prout contingentium: nam sicut idem intellectus Divinus realiter, & virtualiter simplex, est per se absolute cognoscitivus necessarium, & per se conditionatè cognoscitivus contingentium sub conditione, quod hæc sint cognoscibilia: Undè fit, quod intellectus, ut cognoscitivus necessarium non sit virtualiter distinctus ab intellectu, ut cognoscitivo contingentium illo *ut* alludente ad objectivas realitates.

CVIII. Ità idemmet Verbum Divinum etiam virtualiter simplex est per se absolute locutio, sive expressio Trinitatis, cæterarumque veritatum necessarium, & per se conditionatè est locutio

Herrera
q. 12. de
Trin.

tio contingentium sub conditione, quod hæc sint verè dicibilia. Undè pariter fiet, quod in sensu reali Verbum necessariorum non sit virtualiter distinctum à verbo, ut verbo contingentium. 2.^o quemadmodum intellectus divinus potest considerari vel secundum se, & quasi in actu primo, vel, ut actu cognoscens, & quasi in actu 2.^o inspectusque primo modo, est virtualiter etiam unicus; inspectus 2.^o modo est quidem virtualiter multiplex multiplicitate cadente, non supra intellectum ipsum, sed supra eas cognitiones, per quas constituitur in esse actu absolute cognoscens; Ità Verbum divinum considerari potest secundum se, & quasi in actu primo, vel etiam in actu secundo, nempe, ut actualis absoluta locutio contingentium, nec non ut actualis, & absoluta locutio necessariorum. Primo modo dico esse adhuc virtualiter simplex. Inspectum 2.^o modo est quidem virtualiter multiplex non multiplicitate appellante supra ipsum Verbum Divinum; sed supra utrasque cognitiones, sive scientias, quæ profectò sunt invicem distinctæ virtualiter, & per quas Verbum constituitur in esse actualis locutionis, sive dictionis utrarumque veritatum. Undè nos admittimus distinctionem virtualementer inter prædictas cognitiones Divinas; contrarii autem, & hanc, & insuper infinitas alias intra viscera ipsa Verbi Divini.

CIX. Quod autem Verbum constituitur in esse Verbi, seu actualis locutionis talium veritatum per actualem earundem cognitionem, constat: tum ex eo, quod locutiones externæ non consistunt pure, & præcisè in sono aliquid manifestante, aliàs rugitus Leonum, hinnitus Equorum, & reliqua signa externa, quibus belluæ aperiunt suas passiones, essent absolute locutiones; Ergo aliquid addunt præter sonum illum; sed non aliud, nisi specialem objecti cognitionem directricem illius externæ manifestationis; ergo locutio externa constituitur in esse actu absolute exprimentis objectum per cognitionem objecti ipsius; ergo locutio interna, seu verbum mentis, ut actu absolute dicens, sive pronuncians objectum, constituitur per cognitionem ipsius objecti. Tum

etiam, quia verbum, ut actualis absoluta locutio objecti intimè connectitur cum cognitione illius; aliàs Pater loqueretur idipsum, quod prorsus ignorat: Ergo vel constituitur per ipsam, vel per aliquid connexum cum ipsa; non hoc secundum, quia hoc aliquid non potest esse, nisi Verbum aliud contingens, de quo est præsens difficultas, quodquè negatur à nobis, quia sine necessitate admittitur; ergo dicendum, quod Verbum reduplicativè, ut actualis, absolutaque expressio objecti constituitur per ipsius cognitionem.

CX. Nequè obstat hanc præcedere locutioni; nam etiam advertentia, & libertas indifferentiæ præcedunt actionibus nostris, & hæc constituuntur in esse humanarum, laudèque, aut vituperio dignarum per utramque. Et causa efficiens præcedit suæ actioni, & tamen per hanc ipsam constituitur prior in actu secundo respectu ipsius, & intellectus ipse Divinus præcedit scientiæ contingenti, & tamen per ipsam constituitur actu cognoscens. Tum sic; sed divinæ cognitiones circa veritates necessarias sunt virtualiter distinctæ à Divinis cognitionibus circa contingentes, & hæc inter se; quandoquidem potest DEUS scire se esse Unum, & Trinum, se esse Omnipotentem, quin sciat me modo loqui, eo quod possum ego non loqui, etiam si DEUS sit Unus, & Trinus; item scire me modo loqui, quin sciat sonare campanam, eo quod possum ego loqui, quin campana sonet; ergo datur locus, ut Verbum quatenus actualis, absolutaque locutio necessariorum, & quatenus actualis absolutaque locutio contingentium sit virtualiter multiplex, quin multiplicitas hæc appellet supra Verbum ipsum; sed solum supra eas formas, vel quasi formas, per quas constituitur in esse actualis absolutaque expressio, id est supra divinas cognitiones.

CXI. Dico itaque, argumentis adversariis satisfieri hac secunda multiplicitate, & opus non esse illà primà; quocirca omnia ea distinguenda sunt, & concedenda si reduplicaciones alludant ad sensum Logicum, & mentaliter præcisivum; sin vero ad sensum realem, & objectivum, subdistinguenda sunt: & concedenda de multiplicitate, seu distinctio-

distinctione virtuali cadente supra formas, quibus Verbum constituitur in esse actualis, absolutæquæ locutionis; neganda autem de multiplicitate cadente supra ipsum Verbum. Specimem sit. Verbum Divinum, ut Verbum Trinitatis expressivum, est inevitabile à me quoad hanc denominationem. Sed ut expressivum mei actus liberi est evitabile à me quoad hanc denominationem; ergo ut Verbum Trinitatis est virtualiter distinctum à Verbo ut Verbo mei actus liberi. Datis præmissis, distingo consequens illo *ut* alludente ad nostras mentales præcisiones concedo. Alludente ad objectivas ipsas realitates subdistinguo: est virtualiter distinctum à Verbo, ut expressivo mei actus liberi distinctione virtuali appellante supra verbum ipsum nego (quia de hoc est questio) appellante supra actuales ipsas cognitiones, quibus constituitur in esse actualis, & absolutæ locutionis concedo, quia illæ divinæ cognitiones una necessaria, & altera contingens, distinguuntur virtualiter invicem.

CXII. Dico 2.^o Ratio objectiva formalis, & immediata propter quam 2.^a potius, quam 3.^a persona est Filius, est: quia potius, quam 3.^a producitur per generationem. Et in primis, quod hæc ratio si vera sit, sit quoque sufficiens, videtur planum, quia esse Filium, & generari generatione viventium sunt termini convertibiles, nam omnis, & solus Filius generatur, & omnis, ac solus sic genitus, est Filius naturalis. Quod autem sit vera probatur: Generatio viventis juxta Philosophos, & Theologos est *origo viventis à vivente principio conjuncto in similitudinem naturæ*; at licet priora verba competant etiam productioni Spiritus sancti, quæ sine dubio est origo viventis à vivente à principio conjuncto, non tamen illa posteriora *in similitudinem naturæ*, quæ sanè competunt productioni 2.^æ personæ; ergo hujus potius, quam illius productio est generatio. Probo minorem. Verba illa significant, quod principium, prout in actu primo proximo ad generationem, ponat prolem sibi similem in natura, ut tali, id est in natura, ut potente producere hoc, vel illo modo vero, & reali, suppositum aliud ejusdem perfectionis;

natura enim, ut natura, est principium motus, & quidem proportionati principio in quo est, ac proportionati quoque modo, quo operatur; Atqui hoc convenit principio 2.^æ personæ, siquidem hæc gignitur cum fecunditate producendi, si non per generationem, saltem per spirationem activam, & consequenter modo vero, & reali, suppositum ejusdem perfectionis, nimirum Spiritum sanctum, cujus productioni hoc non convenit, quandoquidem spirator (id est Pater, & Filius, qui sicut non sunt duo Dii, ita non sunt duo spiratores partiales, aut totales, sed unicus spirator, ut jam dictum est) non conatur in chimæram, qualis esset, quod Spiritus sanctus evaderet similis suo principio in virtute producendi aliam personam ejusdem perfectionis, cum sit chimæra 4.^a persona Divina: Ergo.

CXIII. Quamobrem in Spiritu sancto est natura Divina, *ut Deitas* cum attributis omnibus absolutis; sed non est eadem natura Divina, quæ in Patre, & Filio, *ut natura*, id est, ut fecunda, & potens producere suppositum aliud divinum. Unde objectiones contrariæ sic explicandæ sunt. In Spiritu sancto est eadem natura, quæ est in Patre, & Filio, reduplicata, *ut natura*, hoc est, ut fecunda ad intra nego: eadem, *ut Deitas*, ut divinitas, &c. Concedo; nequè propterea minor est perfectio in Spiritu sancto, quam in duabus Divinis Personis. Nam cum tota perfectio fecunditatis sit ipsa Divina essentia, eo ipso quod hæc sit in Spiritu sancto, licet in eo non sit, formaliter per immediatam identitatem, fecunditas ipsa formalis, nihil perfectionis concluditur esse in Patre, & Filio, quod non sit in Spiritu sancto: Rursus licet in generationibus creatis proles evadat similis suo principio virtute communicandi aliis naturam non utcumquæ, sed determinatè per generationem, hæc species similitudinis non est de ratione generica generationis; sed quia creaturæ non habent alium modum communicandi physice suam naturam, nisi per generationem. Ex principiis autem Fidei scimus Filium communicare naturam Divinam Spiritui sancto (*De meo accipiet*) aliter quam per generationem, scilicet per spirationem,

nem, qui modus non invenitur in tota Republ. creata; Et rursus Spiritum sanctum ex sua caracteristica proprietate non esse genitum, sed procedentem, ut docet Athanasius.

CXIV. Explicatur. Etiam in generationibus creatis evadit proles similis suo principio in virtute producendi multa supposita ejusdem perfectionis; & tamen hoc non est de ratione Filii in genere. Fide namque novimus secundam personam esse Filium, & insuper esse incapacem producendi multa supposita ejusdem naturæ, & perfectionis; Ergo quod deprehendimus in generationibus creatis propter earum imperfectionem, non illico appingere debemus divinæ generationi: quod si dixeris prædictum generationis conceptum fuisse formatum à Philosophis, ex eis, quæ deprehendebant in generationibus creatis, & consequenter, si est exactus, debet convenire productioni Filii divini eo modo, quo productioni Filii creati; si secus, nihil refert, quod illi conveniat probandi ergo, illius productionem esse generationem. Reponam 1.º verba Augustini supradicta. Nullus modus Processionis alicujus creaturæ perfectè representat divinam generationem, quid ergò mirum, quòd in hac inenarrabili generatione non deprehendamus omnia, quæ contingunt in generationibus creatis? 2.º Sicut identitatem inter relationem, atque essentiam explicamus partim ex principiis Philosophicis, partim ex Theologicis, eò quòd hæc aperuerunt nobis speciem quamdam identitatis realis latentem præcos Metaphysicos, & consequenter promoverunt explicationem identitatis realis, quam inceperunt Philosophi; Ità generationem inenarrabilem nobis, explicamus utcumque partim ex principiis Philosophicis partim ex Theologicis, quia hæc aperuerunt nobis speciem quamdam generationis fugientem penitus ingenia Philosophorum, scilicet æternam generationem Filii, nequeuntis ab intrinseco gignere alium Filium; quocirca, vel definitio data significat, quòd Filius debet esse fecundus determinatè communicando naturam per generationem:

R. P. de Ulloa, Theol. Tom. 1.

M

vel vagè per generationem; aut per alium quemvis modum verum, & crealem. Si 1.º Fides aperuit oculos Philosophiæ docendo istam definitionem non esse rectam, utpotè non convenientem omni suo definito: Quocirca ex definitione in isto sensu non arguimus, processionem 2.º personæ esse generationem. Si 2.º est legitima definitio, & ex illa sumitur argumentum nostrum,

CXV. Demum nè objicias generationes, ac Filios monstrosos, qui verè sunt Filii, & tamen ex vi suæ generationis nascuntur incapaces communicandi aliis suam naturam. Etenim influxus Equinus v. g. quatenus est ex se, intendit producere Animal suæ speciei, id est influxus ille produceret Animal equinum, & consequenter Filium capacem fecunditatis, nisi per accidens admisceretur influxui animalis speciei extraneæ; & propter hanc accidentalem commixtionem seu combinationem influxuum distinctarum specierum resultat monstrosa quaedam species 3.ª nempe mulus; Ergò semper subsistit, quòd licet Filius non evadat similis semper in actu 2.º suo parenti, in virtute communicandi suam naturam aliis (quam similitudinem in actu 2.º non poscit ratio Filiationis ob multa accidentia, quæ subreperere possunt) nihilominus actio generativa ex se, ac præscindendo ab his accidentibus, conatur terminum similem suo principio in natura, ut natura, id est similem in virtute producendi aliud suppositum. At processio Filii divini per se ab intrinsecò repugnat omni impedimento contrà fecunditatem Filii, aliàs ex se foret conjungibilis in sensu reali cum eo, quòd Filius nequiret producere Spiritum sanctum. Item spirator per se ab intrinsecò repugnat cum eo, quòd Spiritus S. possit producere aliam personam divinam; aliàs Pater, & Filius essent in sensu reali conjungibiles cum possibilitate 4.ª personæ; ergò stat, quòd productio Filii intendat prolem similem suo principio in natura, ut natura, secus productio Spiritus sancti: ergò stat, quòd productio illa sit generatio, secus hæc.

DISPU-